A Itaque ſub Othoniele etiam fidem Deo ſervarunt, eo autem mortuo, ſtatim ad idola deſcivere: quamobrem tunc quoque ſervire compulſi ſunt Eglon Moabitarum Regi annos octodecim.

Deinde poſt obitum Aioth Ducis, cum iterùm idola colere cœpiſſent, oppreſſi ſunt ſervitute à Jabin Chananæorum Rege per annos viginti.

Poſt Deboram quoque uxorem Lapidoth (& ipſa enim præfuit populo) peccaverunt, atque ſeptem annis à Madianitis vexati ſunt, ſata frugeſque eorum vaſtantibus.

Ita poſt Gedeonem, & erga familiam ejus, à quo de inimicis liberati fuerant, ingrati extitere, & erga Deum impii, ideoque per idem tempus externorum bello variè inquietati ſunt.

Poſt Abimelech, Tholam, & Jair præſides, itidem peccaverunt, & à Palæſtinis mala paſſi ſunt annis octodecim.

Poſt Jepthe, Abeſſam, & Ahilon, & Abdon, rurſum peccaverunt, & denuò à Palæſtinis oppreſſi ſunt ſervitutis jugo per annos quadraginta.

Poſt Sampſonem verò inter ſe diſſidere cœperunt, quando B tribus Benjamin, ob ſtupratam cujuſdam Levitæ conjugem, & per vim in una nocte multorum coitu laſſatam, atque extinctam, pœnè interiit, dum à reliquis tribubus indignè id ferentibus impugnatur. Primò tamen de his qui illos oppugnatum venerant, cecidere viginti duo millia, iterum altero congreſſu octodecim millia: & ipſi enim offenderant, ſuis viribus magis, quàm Dei auxilio freti: ſed tertio tandem certamine de Benjamin periere vigintiquinque millia, oppidum eorum Gabaa incenſum, in quo obſeſſi erant, idemque factum reliquis urbibus, ac vicis tribus hujus. Iſta de Judicum libro ſummatim perſtringendo protulimus, quæ ſequuntur, Regum continet hiſtoria.

* Pœnæ a Deo Inflictæ.

Ob Idololatriam quæ maxima in Deum ingratitudo eſt, diviſum fuit Judææ regnum.

Decem tribus in Samariam ſeceſſere ſub Rege Jeroboam, duæ reliquæ ſub Roboam Jeroſolymis manſerunt. In Samaria quidem perſeveravit impietatis crimen: Jeroſolymæ magis fideles inventi ſunt.

Vitulos æneos adorabant Samaritæ, quos pro diis colen- C dos poſuerat Jeroboam primus ex Judæis Samariæ Rex.

Eam ob rem Abiæ Jeroſolymitanorum Regi in prælio ſuccubuerunt, die uno quinquaginta millia eorum deſiderata ſunt Civitates tres amiſſæ, Bethel, Hieſana, & Ephron. Deinde regnum de familia Jeroboam ad alios tranſlatum.

Poſtea regnante Achab adverſum Syros profecti, ob hanc ipſam idololatriæ culpam ſuperantur, Achab quoque ſagittæ ictu interficitur. Regnante Joacham, ſervierunt Azebelo regi Syriæ.

Regnante Phacee, Theglatphalaſar Aſſyriorum Rex Samariam invadens, magnam quidem populi partem captivam ſecum duxit Niniven.

Regnante Oſea, unà cum Rege omnes tranſlati ſunt in Aſſyriam per Salmanaſar Aſſyriæ Regem: cum enim prophanos gentium ritus imitarentur, & Prophetarum arguerentur ſermonibus, ad Deum Iſrael reverti nolebant, colentes Baal, filios filiaſque idolis initiantes, inſervientes etiam divinatio- D nibus atque auguriis.

Nunc ad Jeroſolymitarum immunditias gradus faciendus reſtat. Sub Roboam Rege legem Domini reliquerant, cum Seſac rex Ægypti civitates eorum munitiſſimas debellavit, dixitque eis per Prophetam Dominus: Vos dereliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac. Hic captam Jeroſolymam ſubdidit ſervituti, Templi theſauros regiamque gazam omnem ſuſtulit, & aſportavit.

Sub Joram rege, quia Gentilium ritus ſecuti fuerant, Palæſtinorum, atque Arabum magna in parte præda facti ſunt. Tunc enim & regis domus direpta, & ejus uxores liberique capti. Ipſe autem Joram, quia ab impietate non receſſerat, alvi profluvio conſumptus eſt.

Ob idem crimen Joa regnante, ingentes militum copias parva Syrorum manu proſtratas amiſere. Ipſe Joas à ſervis domi fuit interemptus.

Rurſum ſub Amaſia Rege Deos alienos adorabant, cum à Joa Samaritarum rege ſuperati ſunt, pars Jeroſolymitani muri diruta, theſauri ablati, ipſe Amaſias captus, nobilium liberi pro obſidibus abducti.

Tunc etiam regnante Achaz colebant Baal, cum & à rege Syriæ ſpoliati ſunt, & à rege Samariæ Phacee ingenti bello E victi: Ea enim pugna centum viginti millia virorum cæſa fuiſſe dicuntur, ducenta millia in captivitatem abducta, cum præda omnis generis propè inæſtimabili, quamvis Phacee ab Angelo coargutus reſtituerit captivos; quia tamen ab impietate non recedebant, Idumæi illorum fines depopulati ſunt, urbes aliquot expugnarunt Palæſtini, agrum vaſtaverunt Aſſyrii: neque tamen tot cladibus affecti, ad Dominum redire voluerunt, donec in regno ſucceſſit Ezechias Achazi filius, per omnia patri diſſimilis. Piè enim ac ſanctè vixit, ut intelligas Principum mores civibus documento eſſe ſolere: ſemper quidem Judæi ſub religioſis regibus religioſi fuere, ſub impiis impii.

Poſt Ezechiam regnat Manaſſes ejus filius, magis impietate, quàm regno nobilis: captus à Chaldæis addicitur ſervituti: adverſis pulſatus agnovit errorem, pœnitentiam egit, & Domino miſerante reſtitutus eſt Regno. Quòd ſi Manaſſem pœnitentiam agentem ſuſcepit Deus, quis tam impius eſt, ut veniam deſperet, ſi ad illum, à quo alienatus eſt, recurrerit?

Joachazo quoque impio ſuper impios regnante, Nechao rex Ægypti eoſdem tributa ſibi pendere compulit: ea erant F centum argenti talenta, in ſingulos annos, unum auri. Tunc Joachazo ſublato, Eliachimum ejus fratrem præfecit regno. Sed cum neque iſto ad regni gubernacula ſedente, populus ab erroribus reſipuiſſet, Nabuchodonoſori Babyloniorum regi ſervierunt, atque etiam latronum infeſtationes paſſi ſunt: & ne tunc quidem ab idololatriæ cultura deſiſtentes, Joachimo Joachimi filio regnante obſeſſi à Chaldæis, unà cum Rege poteſtati illorum ſeſe dedidere. Tunc omnes ferè in Chaldæam traducti ſunt, præter pauperes vulgi agricolationi relictos. Hinc Mathathias urbi penè deſertæ juſſus eſt præſidere. Cumque etiam qui tunc reſidui erant, nullo Dei flagello ab inveterato jam errore revocari potuiſſent, totam in illos indignationem effudit Deus, eoſque graviùs quàm unquam anteà afflixit. Cum enim Mathathias iſte, qui & Sedechias eſt dictus, à Chaldæis defeciſſet, obſedit eos Nabuchodonoſor Chaldæorum Rex; urbe potitus eſt, Sedechiam cum liberis fugientem comprehendit, liberos illo ſpectante trucidari juſſit, ei verò, ne quid deindè jucundi videret, oculos eruit, & vinctum ſecum Babylonem abduxit. Poſt hæc Nabuzardam Ducem cum valida militum manu miſit, qui mœnia urbis demolitus ſolo æquavit, domos templumque incendit, cives in ſervitutem ad Chaldæam tranſtulit, & cum illis vaſa templi aurea, argentea, ænea, æneaſque columnas templi; primarios urbis cives, Deique ſacerdotes interfecit, & impletum eſt quod in Pſalmo prædictum fuerat: Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & concluſit in gladio populum, & hæreditatem ſuam ſprevit: denique facta eſt, quam Prophetæ prædixerant, tranſmigratio Judææ in Chaldæam, ac tanta prophanæ gentis ingratitudo tales quidem pœnas dedit, quæ ſi ſolæ proponerentur, & nulla futura eſſet in inferno, quis adeò temerarius eſt, ut audeat eſſe in Deum ingratus? G

Strages omnes *quas Judæorum populus perpeſſus eſt, Deo ob eorum perfidiam, & ingratitudinem eas permittente. Ex libris S. Scripturæ, & Hiſtoriis Eccleſiaſticis aliiſque.*

3060 Ceciderunt in Iſrael propter vitulum aureum. *Exod. cap.* 32. H
603550 Viri Iſraelitæ, exceptis mulieribus & pueris, mortui ſunt in deſerto, præter Joſue & Caleb, propter infidelitatem, & peccata ipſorum. *Num.* 14. & 26.
22300 Sacerdotes, & Levitæ mortui in deſerto ſunt. *Ibid.*
250 Seniores populi perierunt in ſeditione Korah. *Numer.* 16.
4700 Occiſi ſunt in deſerto in murmuratione populi contra Moyſen, & fratrem ejus Aaronem. *Num.* 14.
24000 Occiſi ſunt propter fornicationem principum, & populi in Sitthim. *Num.* 25.
36 Occiſi ſunt in Ai propter furtum Achan. *Num.* 7.
Summa 667836.
70 Fratres ſuos occidit Abimelech, Judex in Iſrael. *Judicum* 9.
42000 Ephraimitæ interfecti ſunt propter inſultationem, & contemptum contra Galaaditas. *Judic.* 12.
25000 Benjamitæ occiſi ſunt ab Iſraelitis. *Judic.* 20.
40030 Occiſi ſunt à confratribus ſuis Beniamitis. *Judic.* 20.

1000 Si-

A 1000 Sichemitæ interficiuntur tyrannicè ab Abimelech duce. *Judic.* 12.
34000 Iſraelitæ occiſi ſunt à Philiſthæis. 1. *Reg.* 4.
50070 Bethſamitæ ex tribu Juda perierunt, eo quòd arcam Domini temerè introſpexiſſent. 1. *Reg.* 6.
85 Sacerdotes occiſi ſunt à Saule. 1. *Reg.* 22.
380 Occiſi ſunt in pugna inter Abner & Joab. 2. *Reg.* 2.
20000 Perierunt in ſeditione Abſalonis, plures verò in ſylva Ephraim in fuga occubuerunt. 1. *Reg.* 19.
300 Occiſi ſunt ab Heroe Davidis, Abiſai. 3. *Reg.* 23.
Summa 212935.
70000 Peſte mortui ſunt tempore Davidis. 1. *Reg.* 24.
450 Prophetæ Baalim occiſi ſunt ab Elia. 3. *Reg.* 18.
400 Prophetæ Lucorum occiſi ſunt ab Elia. 3. *Reg.* 18.
102 Milites ex Iſrael perierunt igni cœleſti. 4. *Reg.* 1.
70 Filii Achab trucidati ſunt à Jehu. 4. *Reg.* 10.
800 Occiſi ſunt ab uno Heroe Davidis, Jaſabeam. 2. *Regum* 23.
42 Fratres Agaſiæ occiſi ſunt à Jehu. 4. *Reg.* 10.
3000 Ex Juda ceciderunt ab Iſraelitis, eò quòd exercitum conductum ex Iſrael Amarias dimiſerat. 2. *Par.* 25.
B 500000 Iſraelitæ perierunt in bello Jeroboam contra Abiam. 2. *Paral.* 13.
120000 Ex tribu Juda perierunt per Pekah regem Iſrael ſub Achas rege Juda propter Idololatriam. 2. *Paral.* 28.
80 Iſraelitæ occiſi ab Hiſmaele. 4. *Reg.* 25.
Summa 694864.
10832 Iſraelitæ cum Jechonia captivi abducuntur in Babel per Nabuchodonoſor. *Joſeph. in Antiq.*
1000 Judæi occiſi ſunt die Sabbathi, qui ſe defendere nolebant. 1. *Machab.* 2.
2000 Iſraelitæ ab exercitu Gorgiæ occiſi, quia pugnabant contra Dei mandatum. 1. *Machab.* 5. *Nauclerus in generatione* 60.
50 Nefarii Judæi à Juda Machabæo occiſi ſunt. 1. *Machab.* 9.
1000 Judæi occiſi ſunt à Tryphone. 1. *Machab.* 14.
80000 Occiſi ſunt ex Judæis à tyranno Antiocho. 2. *Mach.* 5.
40000 Occiſi ſunt ab eodem Antiocho. *Ibid.*
80000 Venditi ſunt ab eodem Antiocho. *Ibid.*
C 50 Judæi occiſi ſunt in inſidiis. *Nauclerus in generatione* 60.
10000 Judæi interfecti ſunt cum Jonatha duce eorum à Thryphone. *Nauclerus in generat.* 60.
200 Perfidi Judæi occiſi ſunt Joppæ. 2. *Machab.* 12.
Summa 216132.
30000 Judæi occiſi ſunt à Ptolemæo Ægypti rege ſub Alexandro Jammæo duce, & Sacerdote Judæorum. *Nauclerus in gener.* 61.
6000 Judæi ab Alexandro Jammæo occiſi, qui ipſi inſultabant. *Naucl. in gener.* 61.
50000 Ex ſenioribus Judæorum interfecti ab eodem, cum quibus ſexennium pugnavit. *Ibid.*
800 Judæi ſuſpenſi ſunt Jeroſolymis. *Ibid.*
22000 Judæi occiſi ſunt à militibus Pompeji, cum Jeroſolymam cepiſſet. *Nauclerus in gener.* 62.
14000 Judæi occiſi ſunt Jeroſolymis à Pompejo in bello Mithridatico. *Naucl. in gener.* 61.
3000 Judæi occiſi ſunt ab Archelao poſt mortem Herodis, propter motam ſeditionem. Anno Chriſti tertio. *Vide hiſt. Eccleſ.*
D 2000 Judæi ſuſpenſi ſunt à Varo propter motam ſeditionem. *Vide hiſt. Eccleſ.*
Summa 127800.
50000 Judæi occiſi ſunt in Seleucia in ſeditione mota contra Græcos. Anno Chriſti 46. *Vide hiſt. Eccleſ.*
30000 Judæi occiſi ſunt Jeroſolymis propter ſeditionem motam in die Paſchatis. An. Chriſti 49. *Vide hiſt. Eccl.*
13000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt ab Aſcalonitis ſub Floro Romanorum Præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
2000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt Ptolemaide ſub Floro Romanorum præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
50000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt Alexandriæ cum uxoribus, & liberis, ſub Floro Romanorum præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
8400 Seditioſi Judæi occiſi ſunt Joppæ à Romanis, ſub Floro præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
Summa 155900.
20000 Judæi occiſi ſunt Cæſareæ, in ſeditione mota contra præſidem Florum. Anno Chriſti 67. *Vide hiſt. Eccl.*
10000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt à Damaſcenis, ſub eodem Floro. *Vide hiſt. Eccleſ.* E
10000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Aſcalon à Veſpaſiano. *Vide in hiſt. Eccleſ.*
6000 Seditioſi Judæi rurſus occiſi in Aſcalon. *Ibid.*
12000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Apheka, à Trajano. *Vide hiſt. Eccleſ.*
3000 Seditioſi Judæi occiſi. *Ibid.*
11600 Seditioſi Judæi occiſi in Samaria duce Romanorum in monte Garizim, ſub Veſpaſiano. *Vid. hiſt. Eccl.*
40000 Seditioſi Judæi interfecti ſunt Jorapatæ, ſub Veſpaſiano. *Vide hiſt. Eccleſ.*
Summa 114600.
9000 Seditioſi Judæi Gamalæ occiſi ſunt, ſub Veſpaſiano.
2000 Seditioſi Judæi cum duce eorùm Joham occiſi ſunt, eodem Veſpaſiano.
12000 Judæi ſeditioſi occiſi ſunt Jeroſolymis ab Idumæis, ſub eodem Veſpaſiano.
13000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt à duce Placido, ſub eodem Veſpaſiano. F
10000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Idumæa, à Veſpaſiano.
1100000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Jeroſolymis, in ultima devaſtatione ſub Veſpeſiano, duce Tito filio ejus. *Vide hiſt. Eccleſ.*
3000 Judæi captivi, Cæſareæ in ſpectaculis à Tito interfecti ſunt. *Vide hiſt. Eccleſ.*
3000 Judæi interfecti ſunt Cyrenæ à præſide Catullo. *Vide hiſt. Eccleſ.*
Summa 1152000.
4000000 Judæi ſeditioſi occiſi ſunt paſſim in Judæa, in multis ſtragibus, ducibus Julio Severo, Quieto, & Rufo Anno Chriſti 134. *Vide hiſt. Eccleſ.*
1200000 Judæi ſeditioſi occiſi ſunt Alexandriæ, duce Martio Turbone, eodem tempore.
Summa 5200000.

Summæ omnium occiſorum ex populo Iſraelitico, ſecundum Scripturam, 8542067.

* INGRATITUDO ET SCELERA ADVERSUS Chriſtianam Religionem, & Gentem. G

in Nova Lege.

Hanc paulò ante deſcripſimus longè maximam fuiſſe, quòd poſtquam à Cyro manumiſſi, poſtliminioque reverſi eſſent ſub Eſdra ſacerdote, vrbemque ac templum, Deo illis favente, reſtauraſſent, & jam priorem ſuum ſtatum temperare cœpiſſent, Meſſiam ſuum tot ſæculis expectatum non receperint, ſed ex lege illum, qui in lege fuerat promiſſus, cruci affigendum decreverint, variis opprobriis affecerint, ejuſque nomen delere, & ſpiritualem Abrahæ poſteritatem in nihilum redigere laborarint, & etiam hodie laborent, in Chriſtianos, dummodò vires permitterent, crudeles, & impii.

Evolvamus paululùm Hiſtoriam temporum, & quæ mala à Judæis illata Chriſticolis, compendio recenſeamus. Neque enim ſatis illis fuit, ut iiſdem exprobravit Stephanus, *Act. c.* 7. quòd olim Prophetas, qui Chriſti adventum prænuntiabant, quorum greges enumerat ſacra Scriptura, trucidaſſent, ac ut Ezechiel Jeruſalem appellat urbem ſanguinum, *cap.* 24. neque quòd ipſum Meſſiam tot ſæculis prædicatum occidiſſent, pactumque Dei reliquiſſent, inſuper plus quàm vatinianum, & H internecinum odium erga Chriſti diſcipulos, & Apoſtolos primùm, deinde adverſus ipſorum ſucceſſores, ac univerſum Chriſti ovile retinuerunt. Quippè ſub ipſa initia Euangelicæ prædicationis, omnes ubique in deſerto gentium, *ut Hieron.* loquitur *comm. in cap.* 39. *Job.* crudeliter perſequebantur propter Euangelium.

Quin teſtatur ille ipſe, quòd ſæpè per diem in omnibus Synagogis, ſub nomine Nazaræorum, ſoliti fuerint anathematizare nomen Chriſtianum, & maledicta in illud congerere. Atque *in lib. Thalmud*, iis præcipitur, ut illud faciant, hac contentus ratione, Nazaræos vocabo Chriſtianos.

Summa quoque contentione provocabant Chriſtianos ad diſputandum, meminitque *Adrianus Papa epiſt. ad Carol. Magn.* diſputationis, quam in urbe extorſerant à Conſtantino Imp. *epiſt.* 3.

Perſecutiones eorum, quibus Eccleſiam affecerunt, notæ ſunt, ita ut *Tertul. lib. contra Judæos*, dicat, Nobis qui ſucceſſimus in locum Prophetarum, ea ſuſtinentibus hodie in ſæculo, quæ ſemper ſunt paſſi prophetæ propter divinam Religionem: alios enim lapidaverunt, alios fugaverunt, plures ad necem rapuerunt: teſtis eſt ſanctus ille Stephanus, quo prædicante,

A cante, continuerunt aures ſuas, & impetum unanimiter in eum fecerunt, tandemque extra urbem lapidibus obruerunt; teſtes ſunt perſecutiones, quarum in Actis meminit Sanctus Lucas.

Refert Juſtinus diſputans cum Tryphone, quo pacto viros aptos elegerint de Jeroſolymis, eoſque per omnem terram miſerint, qui circuirent, & dicerent, impiam hæreſim ſurrexiſſe Chriſtianorum, ſimul etiam criminoſa pleraque diffamarent adverſus illos, ut ignorantes deterriti conſortia illorum vitarent.

Certè ſub Hadriano Imp. circa annum Chriſti cxxx. Chriſtianos ad mortem uſque ſunt perſecuti, ut tradunt idem Juſtinus *Apolog. ad Antonin. Euſebius in Chronico*, *an.* 17. Adrian. *&* 4. *hiſtor. cap.* 8. & alii. Imò Chryſoſtomus ſcribit, eos adverſus Conſtantinum rebellare voluiſſe, quòd ſe Principi Chriſtiano ſubditos dolerent.

Poſteà nati Julianum jam Apoſtatam, liberiùs deſævire cœperunt, Eccleſias incenderunt impunè, & confugientes ad eas extrahebant, conviciis, contumeliis, lapidibus obruebant. De quibus vide *Chryſ. hom.* 44. *in Matth. Ambroſ. epiſt.* 17. *&* 18.
B *Ruffinum lib.* 10. *hiſt. c.* 37. *Tripartitam lib.* 11. *c.* 11. *Eutrop. lib.* 16. *&* 17. ſic ut per Conſtantinum fuerint cohibiti pœna ignis. *l. Iudæis C. de Iudæis, & cælic.*

Quos poterant Chriſtianos mancipia faciebant, & ad ſuam ſuperſtitionem pertrahebant: quod ne fieret, cavit Theodoſius, *lib.* 1. *C. ne Chriſtianum.*

Seditionem moviſſe *Socrates* narrat, & noctu interemiſſe Chriſtianos, *lib.* 7. *hiſtor. cap.* 13. idque ſub Cyrillo Alexandrino.

Cum Polycarpus inflammandus eſſet, ipſi ligna comportabant in rogum. *Euſeb. lib.* 4. *cap.* 15.

Alii ſe Chriſtianos mentiebantur, ut liberalitate, & immunitate Chriſtianorum fruerentur. Unde ſe ſæpiùs baptizare faciebant, uti etiam hodie faciunt, ut eſt notorium. Ægrè enim convertuntur à Judaiſmo, quin ſemper reſiliant, Unde ferunt, Coloniæ fuiſſe Judæum, ut putabatur, converſum, ſacris etiam poſt frequentes deteſtationes initiatum, ætate maturum paulò ante mortem religionem Chriſtianam execratum, ad Judaiſmum rediiſſe; unde tumulo ejuſdem affixum videtur em-
C blema muris inſequentis cattum, cum hac inſcriptione, Quando mus felem capiet, Judæus etiam converſus manebit Chriſtianus: quaſi id vix poſſibile videatur.

Sed & ſtatuam Aman in crucem ſublatum incendere ſolebant in odium Chriſtianorum, quod ab Imp. Theodoſio vetitum ſuprà. Chriſtianos pueros ſurripiebant, & cruci affigebant, quod accidit anno Chriſti ccccxv. *ut refert Victor. Decarb. lib. de mor. Iudæor. Tripart. lib.* 11. *c.* 13. *Socrates lib.* 7. *cap.* 16. & Surius ſcribit in Chronico ann. MDX. comprehenſos in Brandeburgenſi ditione Judæos, qui faſſi fuerunt, ſe infantes Chriſtianorum 7. acubus, & punctionibus enecaſſe, idque quotannis, ſi poſſent, facere.

Sub Philippo Longo in Gallia, teſte Æmilio, *lib.* 8. *de geſt. Franc.* per ſubornatos à Judæis leproſos, omnes putei infecti fuerunt veneno.

Sunt & qui Scripturam ſanctam eraſiſſe volunt, ut Chriſtianorum myſteria minùs ex iis demonſtrarentur: videatur *Lindanus lib. de opt. gen. Interp. ſcrip. Leo Caſtrenſ. in Apolog. Salron.* 1. *Tom.* 1. *prolegom.* 4.

D Denique varias leges in ſuo Talmud condiderunt adverſus Chriſtianos, ut refert *Adrianus Finus*, qui hanc profert, Licere Judæis impunè, ac ſine peccato Chriſtianos interficere. Sed & Iconoclaſtarum hæreſin ſub Leone Iſaurico à Judæis ortum habuiſſe, *Conſtant. Manaſſes hiſtor. ſcribit.*

☞ *Videbitur locus de Libris.*

Exempla crudelitatis Talmudicæ, quam in Chriſtianos exercuerunt, non pauca reperire paſſim eſt, & obvia ſunt illis locis, ubi olim Apellæ iſti domicilia ſua habuerunt, monachi in Bavaria anno M.CC.LXXXV. referente *Aventino lib.* 7. Puerum adhuc infantem ab improba lamia, quæ eum rapuerat vili pretio redemerunt, & duriſſimis cruciatibus excarnificarunt, & ſanguine illius tanquam hoſtia placabili litarunt. Sed cum & alterum puerum improba Medea raperet, deprehenſa à parente ejus, vinculis & equuleo tradita, facinus omne confeſſa eſt. Cives in impiam gentem inſurgunt, & CLXXX. vivos concremant.

Sub idem ferè tempus Bacheratii adoleſcentem ad diriſſimum ſupplicium rapuere, ſubjectumque prælo non ſecus, quàm uvam tortulari preſſerunt, donec totus ſanguis à corpore exprimeretur. Id factum anno M.CC.XXVIII. ejus patientiam multa prodigia, & oſtenta prodiderunt.

Ita & Conradum puerum, ut auctor eſt *Siffridus*, anno CIↃ.CCC. & tertio, in Thuringia trucidarunt, quomodo alium E nomine Simonem, Tridenti, & ſex alios Ratiſponæ, tanquam victimas mactarunt.

Monachii iterùm alius Henricus etiam puer excarnificatus an. M.CCC.XLV. venis illius ferro undique apertis, ſic ut in corpuſculo, quod in agrum ſuburbanum abjecerant, ſexaginta plagæ inventæ fuerint. *Ex Tomo* 2. *Bavariæ ſanctæ nuper edito.*

Ob hujuſmodi facinora quibuſdam Regionibus proſcribuntur, ſic ut nec latere in illis permittantur. Certè Belgium noſtrum hanc fecem eliminat, ſic ut nuſquam tutò conſiſtat, præterquàm apud Calviniſtas Batavos, tanquam dignum patella operculum.

* Contemptus Et Execratio Gentis.

Hinc meritò gens illa exoſa, & contemptui haberi cœpta: ex quo enim à Romanis victa, & diſperſa, nunquam priſtini ſtatus integritatem recuperavit. Mille & DC. anni ſunt, quòd incertis ſedibus vagatur, ſine Rege, Lege, Sacrificio, Propheta, Sacerdote. Ab Imperatore Heraclio pulſi finibus Chriſtia- F norum, qui & Regem Dagobertum movit, ut idem in Gallia ipſe faceret, *teſte Æmilio.*

Circa annum M.CCCC.XCIII. idem fecit in Hiſpania Ferdinandus Rex, & in Luſitania Emanuel, ut etiam nuper ab annis paucis eorum reliquias Philippus III. Hiſpan. Rex. Etiam an. M.CC.XC. tota Anglia ejectos, ſcribit *Polyd. lib.* 17. *cap.* 38. Quoties autem à Chriſtianorum ditione ſint ejecti, legatur *Ioſeph. Stephan. de un. relig. cap.* 19.

Certè in locis Chriſtianorum quibus tolerantur, certa nota inſigniuntur, ut ab aliis ſecernantur, puta glauco galero, vel circulo, aut alio ſigno. Alibi certis locis ſecluduntur, nè Chriſtianis immiſceantur, uti Venetiis, Coloniæ, Francofurti, & alibi. Quoties verò eos compeſcuerint Imperatores, & Pontifices, conſtat ex variis conſtitutionibus, decretis, & Conciliis; Matiſconenſi, ideſt, Aurelianenſi tertio. *C. Iuſtinian. de Iud. & Cælic. l. hac valitura.* Legatur *Io. Lorin. in c.* 7. *Act. Apoſt. v.* 52.

Refert *Aventinus lib.* 7. quomodo imperante Alberto Auſtrio quidam Rindulees agricola prædicaverit, ſe cœlo dimiſſum, ut Judæos omnes interficeret. Credidit vulgus, & tur- G matim in Francia, & Bojaria Judæi cæſi, & cremati.

Nuper etiam an. 1616. Francofurti in Judæos deſævitum, & bona ipſorum factione dumtaxat quorundam publicata.

☞ *Vide locum de Obeliſco, Pyramide.*

RELIGIO ſive RELIGIOSA
Judæorum ſocietas.

JUDÆORUM RELIGIOSA SOCIETAS.
Generatim Considerata

INSTITUTIO.

☞ *Ex Iuſtitiæ religioſæ loco illuſtretur.*

EXECRATIO, VEL RECTA.

☞ *Non hic Praxeos tantùm, ſed Theoriæ quoque integritatem conſideramus.*

Perversa. Hæretici.

☞ *Huius ſunt loci, qui hæreſim ſpectant. At qui docent, ſequentur.* H

Samaritani hæretici apud Judæos, ex gente Cuthæorum ex Aſſyria eò traducta. *Ex lib.* 4. *Reg. cap.* 16.

EVERSIO.

Iſraelitis in Mediam abductis, Salmanaſſar Aſſyriorum rex etiam ſacerdotes eripuit, & Samariam in patriam tranſmiſit, ut illic Cuthæos (quos in Samariam tranſtulerat, & propter peregrina ſacra à leonibus infeſtari audiverat) in religione Iſraelitica inſtituerent. Sic igitur & religionem amiſerunt. 4. *Reg.* 17. *& Ioſephus lib.* 9. *Antiq. cap.* 15.

JUDÆORUM SOCIETAS RELIGIOSA
Considerata respectu personarum.

Huc prophetæ Judæorum. Veri. Falſi.

☞ *Conſule locum Pſeudoprophetarum.*

DOCTORES JUDÆORUM VERI.

Moyses & Aaron Dei juſſu diriguntur, ut populus de Pharonis jugo ereptus, ab Ægypti finibus educatur, ſacrificium offe-

A fferat in deſerto, & ſic terram ingrediatur promiſſionis. Doctoris igitur partes erunt, peccatores ad pœnitentiam compellere, de diaboli ſervitute in libertatem gratiæ vindicare, & de terrenis ſecularibuſque negotiis ad cœleſtium meditationem jugiter excitare, ut quam beatitudinem animo contemplati fuerint, pietatis juſtitiæque operibus parare ſibi nitantur. *Marul. lib.* 3. *cap.* 4.

Præter legem Moſaicam pauca, ac ferè nulla Hebræis fuerunt volumina. Ejus verò ſacratiorem interpretationem, quam Cabalam dixerunt, Moyſi cœlitùs revelatam, non per litterarum monumenta, ſed alter alteri non minùs quadraginta annis nato, quaſi hæreditario ſucceſſionis ordine revelabat. Sed poſtquam Judæi à captivitate Babylonica per Cyrum vindicati ſunt, inſtaurato ſub Zorobabel templo, ad legem quoque reſtituendam animum adjecerunt. Cui negotio tum Eſdras, ſingulari eruditione, & pietate ſacerdos, præfectus eſt, qui permiſſu Xerxis Jeroſolymam reverſus, non ſolùm populi curam habuit, ut in lege erudiretur, mane uſque ad meridiem, & in feſto Scenopegiæ per ſingulos dies quater prælegendo (id quod *ex.* 2. *Eſdræ* 8. conſtat) ſed etiam poſteritatis ratio-
B nem habens, ſacra divinæ legis volumina expolivit, in eumque ordinem digeſſit, quo tandem ſub Philadelpho à 70. Interpretibus, in Græcam linguam translata ſunt. Sed cùm Eſdras videret, Judæos exilio fugaque aſſidua fluctuare, & cædibus affligi, veritus quoque ſecretiorem divinæ legis interpretationem interituram, cujus arcana ſaltem in memoria ſeniorum erant recondita, idcircò Septuaginta viros ſapientia, & legis eruditione de gente Iſraelitica præſtantiores, convocavit, ut unuſquiſque quæ de legis myſteriis memoria teneret, palam referret: quæ adhibitis notariis, fideli calamo excepta, Eſdras in 70. volumina digeſſit, quam Cabalam dixerunt; quæ ineffabilem de divinitate, & angelicis intelligentiis ſapientiam, & de rebus naturalibus exactam traditionem continebat. Quam poſtea juniores, præter artem revelationis literarum mille magicæ artis, quam in Ægypto didicerant, deliramentis, & goetiæ vanitatibus, conſpurcarunt. *Michael Neander in Erotematis linguæ ſanctæ.*

Esaias propheta, cùm ſe ab angelo carbonis de altari ſumpti farctu purgatum animadvertiſſet, & Dominus diceret: Quem mittam, & quis ibit nobis? ultrò ſe obtulit, dicens Ecce ego ſum, mitte me: cùm ſe à delictorum inquinatione prorſus expiatum agnoviſſet. Carere enim debet omni vitio,
C qui aliorum pravitatem paratus eſt corrigere, ut auditores non tam verbis ad emendationem vitæ provocet, quàm exemplo. Labia enim juſti (ut in Proverbio dicitur) erudiunt plurimos. Unde alibi ad eundem dicitur; Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion, ut ſcilicet culmen ſanctitatis piè vivendo incendat; qui prædicationis munus aſſumit. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Jeruſalem, nempè ut, & qui propè ſunt, & qui longè, audiant. Exalta, & noli timere, ne timendo illis adulari incipias, quos debes increpare, & ſublato cauterio, dum lædere cutem formidas, latens ſub ea malum ſuppurare permittas. Ideo namque præceptum eſt, Non coquas hœdum in lacte matris ſuæ, id eſt, Peccantibus ne blandiaris. Rurſum dicitur illi: Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Proinde qui in Eccleſia clamant apertè, perſeveranter, audacter ſuo funguntur officio, ita tamen malefacta omnium dete-
D ſtando, ut ſemper veniæ ſpem proponant pœnitentibus. Quia Deus clemens, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. *Marul. lib.* 3. *cap.* 4.

Jeremias immaturam ætatem excuſans, clamat: A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Noli, inquit Dominus, dicere, quia puer ſum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & univerſa quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum, ut eruam te. Denique: Miſit, inquit, Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. *Ibidem.*

Ezechieli Dominus liberè vaticinandi præſtitit audaciam, dicens: Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas. Et rurſum: Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides. Adhæc datur illi pro cibo volumen intùs & foris ſcriptum. Etenim prædicator, & exteriorem Scripturæ hiſtoriam in exemplum auditorum proferre debet, & interiorem myſticumque ſenſum, qui ſub ea latet, cum res poſtulaverit, non tacere, Cujus quidem diſciplinæ ſcientiam ſi aſſecutus fuerit, & ipſe dicere cum Ezechiele poterit: Come- E di illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce. Vel cum David, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. *Ibidem.*

Falsi.

☞ *Conſule locum Hæreticorum. Item locum proprium Rabbinorum lib. XVI. huius operis.*

SACERDOTES JUDÆORUM.
Horum Officium.

Moyses Iſraelitarum dux ſummus, quia populum ductaret, ne rei divinæ cultus omitteretur, myſticam virgam, & tabernaculi, quod Deo optimo maximo ſacrificavit, Aaroni curam attribuit, ut in deſertis, & deviis terris ſuus Numini honor redderetur, nullum ratus (ut credere eſt) hominum cœtum ſine religione eſſe oportere; ac niſi Deus præſens ſit, volenſque humanis interſit rebus, ludibrium eſſe, quidquid homo cogitet, non conſilium. *Sab. lib.* 4. *cap.* 1.

Qualitas.

Sacerdos mancus altare non aſcendit apud Moyſem, ſacro- F rum cauſa; alitur tamen templi oblationibus. *Levit.* 10.

Vestitus.

Si quis veſtes & ornamenta Aaronis pontificis, & filiorum ejus ſacerdotum, in Exodo conſideret, inveniet in eis creaturarum omnium typum; & hoc quidem quantum ad allegoriam pertinet. Quantum verò ad tropologicum ſenſum, virtutum cunctarum imaginem. Et ſi anagogen contemplari voluerit, figuram Chriſti. In fronte nomen Dei ineffabile ſculptum in auro rutilat, quia caput Chriſti Deus eſt, & caput Eccleſiæ Chriſtus. Oleo ſanctificationis conſecrantur, ut euntem ſignificent, de quo & prædictum eſt: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis. Quòd ſi tanta pontifici & ſacerdotibus Dei tribuuntur, ut mundum totum, virtuteſque omnes contineant, & ſimul mundi virtutumque Dominum nobis exhibeant, quis non eos ante cunctos mortales, qui in terra ſunt, ponendos arbitretur? quis vel ſola officii auctoritate non omnibus magis reverendos exiſtimet; Soli Pontifici Sancta Sanctorum ingredi licet, ſolis ſacerdotibus in altari Deo miniſtrare; ſolis panes propoſitionis ſumere, & pro G populo ſupplicare. Cedat omninò terrena poteſtas, nihil in ſacerdotis poteſtate conſpicimus, quod non cœlo dignum ſit. *Marul. lib.* 3. *cap.* 5. *Polyd. lib.* 4. *cap.* 5. *de Rerum invent.*

Privilegia.

Apud Iſraelitas, dum adhuc in Silo templum eſſet, pontifices hoc jus habebant in populum, ut quocunque ſacrificium faciente, dum caro coquebatur, veniret puer Pontificis, fuſcinam tridentem ferens, quia in lebetem aut ahenum immiſſa, quidquid extrahebat fuſcina, id ſibi pontifex vendicabat. Etiam ante incenſum ſuffitu adipem, veniebat pontificis puer, & immolatori jubebat, ut carnem daret aſſandam pontifici; pontificem enim ab eo non eſſe coctam, ſed crudam carnem ſumpturum. Filii igitur Heli pontificis duo nequiſſimi, Phinees & Ophni, hac libertate abutebantur, & rapiebant etiam nolentibus per vim, præter ſtupra, quæ inferebant mulieribus illuc venientibus. Ob quæ ſcelera gravi clade à Palæſtinis affecti ſunt Iſraelitæ, & arca Domini ab iiſdem capta, Phinees H & Ophni in acie cæſi. 1. *Regum* 2.

Iſraelitarum Sacerdotes funeribus contaminari non licebat, ne regum quidem ſuorum, & principum, niſi conſanguinitate proximi eſſent, aut certè virgo quædam innupta proxima. *Levitici* 21. *Vide in initio huius loci, Iudæorum Beneficia, & Prærogativæ.*

Successio.

Hebræi tradunt, Melchiſedech regem Salem, fuiſſe Sem, Noe F. omneſque adeò primogenitos ex ſtirpe Noe, ſacerdotes fuiſſe, & Deo victimas immolaſſe, uſque ad ſacerdotium Aaron: & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau fratri ſuo Jacob vendiderit. *D. Hieron. ad Euagrium.*

PONTIFICES SUMMI JUDÆORUM.
Horum Succeſſio.

☞ *Aaroni eiuſque poſteris ſummus Pontificatus apud Iſraelitas divino conceſſus oraculo. Ab Aarone uſque ad Phanaſum, quem Iudaici belli tempore ſeditioſi crearunt* 83 *numero fue-*

A *fuere pontifices. Horum* XIII. *per continuatas ſucceſſiones duorum Aaronis filiorum Eleazari, & Phinei, ſub optimatibus deinde iudicibus, mox & Regibus, per* DCXII. *annos ad Salomonem uſque, hoc honore ſunt potiti. A Salomone autem qui templum ædificavit, uſque ad Ioſedec, qui capta urbe à Nabuchodonoſore Babylonem abductus eſt, per an.* 466. M.V.D.X. *pontifices fuere* XIIX. *Poſt* 70. *annos Babylonicæ captivitatis Ieſus Ioſedech F. cum poſteris ſuis* XV. *univerſim ſtatum Reipub. popularem per an.* 418. *uſque ad Antiochum Eupatorem rexerunt. Eupator Alcimum, ex Aaronis quidem progenie, ſed non ex eadem familia natum, pontificem conſtituit occiſo Menelao. Eo mortuo, per ſeptennium ſine pontifice manſit civitas. Interea cum Aſſamonæorum familiæ principatus contigiſſet, pontificatus quoque iiſdem honoris ergo delatus fuit. Eundem igitur novem ordine obtinuerunt, uſque ad Ariſtobulum Hyrcani nepotem. Quo in piſcina Iericuntina ſuffocato, ſub Herodis Magni principatu, uſque ad Ieroſolymæ direptionem per an.* 107. *pontifices fuere num.* XXIIX. Joſephus lib. 20. cap. 8. Antiquitatum.

Aaron Moyſis frater, ejuſque filii Nadab, Abias, Eleazar, & B Ithamar, ex omnibus Iſraelitis à Domino ſelecti, qui ſacerdotio fungerentur. Aaroni tanquam ſummo pontifici peculiarem habitum conſtituit, monile, ephod, prætextam, tunicam circumtextam, infulam & cinctum. *Exodi* 28.

Eleazar filius Aaronis ſucceſſit, anno Moyſis 39. *Num.* 20. Obiit anno Joſue 28.

Heli ſummus ſacerdos, & judex Iſraelitarum 17. regnavit annis 40.

Eleazar F. Aminadab, Heli caſu perempto, ab Iſraelitis electus, cum Philiſtæi arcam Domini, quam ſex menſibus captam detinuerant, in domo Aminadab in Gabaa repoſuiſſent, in qua 20. annis permanſit.

Achias Achitob F. pontifex Silunte, ephod geſtavit, quo tempore Jonathan Saulis F. præſidium Palæſtinorum, ſolo armigero comitante, ſuperavit. 1. *Reg.* 14.

Achimelech Nobæ, ephod geſtabat. Ob ſuſceptum Davidem, à Saul cum familia & poſteritate Heli ſacerdotis, & urbe delectus. Solus Abjathar filius cum ephod, ad Davidem Ceilam evaſit. 1. *Reg.* 21.

Abiathar Achimelech F. Davidis exulis comes, anno Sau- C lis 6. Hunc David rex pontificem cum Sadoc eſſe voluit. At mortuo Davide, eundem Salomon rex pontificatu privavit, quia defectionis Adoniæ particeps fuerat. Et ſic à familia Eli ab Ithamar tranſlatum eſt ſacerdotium ad familiam Phinees Aaronis filii. 3. *Reg.* 2.

Sadoc de familia Phinees, anno Salomonis 2. cùm jam pridem David victis Philiſtæis, ſtatim ſub regni initia, arcam Jeroſolymam reduxiſſet. Hic primus pontifex templi fuit à Salomone extructi. *Vide Ioſephum lib.* 10. *cap.* 10. *Antiquit.*

Ahimas ejus F. anno Roboam 12.

Joahas, anno Joſaphat regis 7.

Jehoiarib, anno Jehoram regis 6.

Jehoiaphat, anno Ochoziæ regis 1.

Jehoiada & Phadaja ſummi ſacerdotes, anno Athaliæ 7. & ult. Jehojadæ F. fuit Zacharias propheta. Joam puerum in regnum reſtituit, occiſo Athalia, & in omni pietate erudiit. Poſt 27. annos eo mortuo, Joas in idololatriam lapſus, Zachariam lapidari juſſit 4. *Reg.* 11. *& ſeqq.*

Zedakia, anno Amaſiæ 4.

D Azaria, anno Oziæ ſive Azariæ regis 43. qui regem in templo ſuffientem corripuit. 2. *Paralip.* 26.

Urias, anno Achas regis idololatræ 7. Impii regis idololatriam adiuvit, neque contradixit. 4. *Reg.* 16.

Neria, anno Ezechiæ regis optimi 8.

Hoscheia, anno Manaſſis regis 19.

Helcias, qui librum legis in templo repertum Joſiæ regi miſit. 4. *Reg.* 22.

Azaria, anno Jehojakim 8.

Josedec ſucceſſit, qui cum Sedecia rege, incenſa urbe, Babylonem abductus, per 70. annos.

Jehosua Joſedec F. poſt reditum ex captivitate Babylonica, duce Zorobabel anno primo. Gerardus Mercator in numeris annorum multùm variat.

Joachim F. Jehoſua, anno poſt liberationem è Babylone 39.

Eliasib patri in ſacerdotio ſucceſſit, anno poſt liberationem circiter 73.

Judas ſive Jojada, Eliaſib patri in ſacerdotio ſucceſſit, anno poſt liberationem 113.

Joannes ſive Joathan ſive Johannam, Judæ F. frater Jeſu, anno poſt liberationem 131. Hic Jeſum fratrem in templo Je- E roſolymis interfecit.

Jaddus ſive Jaddua, Joannis F. frater Manaſſis, anno poſt lib. 184. Hic Alexandro M. obvius venit.

Onias Jaddi F. anno poſt liberationem 225. poſt mortem Alexandri Magni 3.

Simon F. Oniæ, Juſtus appellatus propter pietatem, & Priſcus, an. liberationis 243. per annos 28.

Eleazarus Simonis frater ſuſcepit templi miniſterium, Onia Simonis F. etiamnum infante, anno liberationis 274. Sub quo 70. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum miſſi.

Manasses Eleazari patruus, anno liberationis 296. vel ut alii 308.

Onias, F. Simonis Juſti, anno liberationis 333. puſillanimis & avarus.

Simon, Oniæ F. anno 362.

Onias, Simonis F. anno 364. cum quo Arius rex Lacedæmoniorum fœdus iniit. Ab Andronico miſerè interfectus.

Jesus, qui & Jaſon, Oniæ frater, anno 371. F

Onias, fratrum minimus, qui & Menelaus, ab Antiocho Epiphane ſacerdotium Fratri Jaſoni ereptum obtinuit, an. 372. ſed factione populi pulſus, ad Anthiochum confugit, & ad Græcorum religionem defecit. Mox reſtitutus, anno 10. ab Eupatore interfectus eſt.

Alcimus à Lyſia Antiochi duce ſummus ſacerdos conſtituitur, cùm de genere ſacerdotum non eſſet, anno 384.

Judas Machabæus, dux ſimul & pontifex primus, an. 388.

Jonathas frater Judæ Machabæi, ab Alexandro Epiphane rege Syriæ pontifex creatus, quadriennio poſt mortem Judæ, cùm vacaſſet interim ſacerdotium. Anno quarto pontificatus à Tryphone per dolum necatus. 1. *Machab.* 10.

Simon Jonathan frater, dux & pontifex annis octo, à Ptolemæo ſocero in convivio occiſus.

Joannes, qui & Hyrcanus, Simoni patri ſucceſſit. Sedit annos 31.

Aristobulus Hyrcani F. à Juda Machabæo V. Judæorum dux & ſacerdos, poſt Babylonicam captivitatem primus diadema ſumpſit.

Hyrcanus Ariſtobuli regis F. matre Alexandra regnum G mortuo patre gubernante, ipſe per novem annos ſacerdotio præfuit. Matri mortuæ in regno etiam ſucceſſit. Poſt menſes tres ab Ariſtobulo fratre pulſus, & Cn. Pompeii ope reſtitutus 40. annis regnum cum pontificatu adminiſtravit. Dein iterum ab Antigono Ariſtobuli F. pulſus, & mutilato corpore captivus apud Parthos per quinquennium vixit, cùm Regis & Pontificis loco à Judæis Babylone coleretur. At poſtquam Herodem generum regnum occupaſſe audivit, ab eo literis invitatus, in Judæam reverſus, & aliquamdiu honorificè tractatus, tandem à genero falſis criminibus confictis interfectus eſt, cùm annum octogeſimum exceſſiſſet. *Ioſeph. lib.* 15. *cap.* 9.

Ananelus ab Herode Judæorum rege pontifex conſtitutus eoque mox privatus, in locum ejus Ariſtobulum Alexandri F. (qui & Jonathas) ſuffecit. Sed non multò pòſt, Ariſtobulo ab Herode interfecto, Ananelus reſtitutus eſt.

Jesus, Sabet vel Phabet F. anno Herodis 8.

Herodes anno 14. depoſito Jeſu Simonem Boethi Alexandrini F. pontificem fecit, ejus filia in uxorem ducta, & ex ea filium ſuſcepit Herodem. H

Herodes an. 37. & ultimo regni Simonem ſocerum ſacerdotio privavit, propter filiæ veneficium, & Mathiam Theophili F. pontificem deſignavit, cùm anno antè Jeſus-Chriſtus Servator noſter natus eſſet. *Ioſeph. lib.* 17. *cap.* 26. *Antiq.*

Joazar uxoris Herodis frater, in locum Mathiæ ſuffectus de ſeditione ſuſpecti. Archelaus eo dejecto ſubſtituit Jeſum Siæ *F. Ioſephus lib.* 17. *cap.* 15. Quo in exilium relegato, Cyrenius Judææ præfectus Annanum Seth. F. ſummum pontificem deſignavit, anno poſt Chriſtum natum 12. Eo poſteà depoſito, Val. Graccus vel Gratus præfectus Iſmaelem Jabi F. ſuffecit, anno poſt Chriſtum 17. Tertio pòſt anno Eleazarus, Annan F. pontifex deſignatus, dejecto Iſmaele. Anno pòſt Simon Samit F. eoque dejecto Joſephus, qui & Cayphas, anno nativitatis Chriſti 22. Olympiade 200.

Jonathas Annan F. ſacerdos à L. Vitellio Syriæ præfecto conſtitutus, dejecto Caypha, anno Chriſti 39.

Theophilus Jonathæ fratri dejecto ſubſtituitur à Vitellio Syriæ præſide.

Simon, cognomine Canthara, Boethi F. ab Agrippa rege Theophilo ſufficitur, anno 44.

De-

A Dejecto Simone, Agrippa Jonathæ ſacerdotium reddere voluit tanquam digniori. At Jonathas Mathiæ fratri ſuo, ut puta meliori, & ſanctiori viro: id ab Agrippa impetravit anno Chriſti 45.

Mathia depoſito, ſubſtituitur Elioneus Githæi F. ab Agrippa rege anno 46.

Simon Canthara iterum. Eo dejecto ſubſtituitur ab Herode rege Calcidis Agrippæ fratre (qui jus eligendi pontifices à Claudio Cæſare impetravit) Joſephus Canei, vel Camydæ F.

Josepho dejecto, Herodes ſubſtituit Ananiam Nebedæi F. Ob ſeditionem ſub Cumano ortam, quia miles Romanus Judæis genitalia oſtenderat, vinctus Romam mittitur. Jonathas à Felice Syriæ præſide ob libertatem reprehendendi per inſidiatores interemptus. Iſmael Phabei F. ab Agrippa rege Agrippæ F. creatus. Is cùm legatus ad Neronem miſſus, obſidis loco detentus fuiſſet, Agrippa Joſeph, Cabi dicto, Simonis quondam pontif. F. pontificatum detulit. Mox eo dejecto, Annanum Annani F. ſubſtituit. Cui, ob interfectum D. Jacobum, tertio meſe dignitatem abrogavit, & Jeſum B Damnei F. elegit. Quem rurſus, juſſu Agrippæ, Jeſu Gamalielis F. expulit. Eidem ſucceſſit Mathias Theophili F. ſub quo Judaicum bellum cœpit. Cui ſeditioſi Phanaſum ſuffecerunt. Tandem cùm Zelotæ (ſic ſeſe homines ſeditioſi appellabant) templum occupaſſent, & optimum quemque interfeciſſent, pontifices non ampliùs ſucceſſione familiarum creabant, ſed ſorte. Itaque una ſacrarum tribuum, quæ Enjachin appellabatur, accita, ſors cecidit in Phanem Samuelis F. ruſticum ex vico Apthaſi, etiam quid pontificatus eſſet, neſcientem. Eum ab aratro vi abſtractum, tanquam in ſcena pontificalibus ornaverunt inſignibus. *Ioſeph. lib.* 4. *cap.* 3. *belli Iud.*

Vestitus.

Hyrcanus pontifex Judæorum, ejus nominis primus, extructa prope templum turri, degebat in ea majorem temporis partem: & quoniam ſtolam ſacram pontificiam habebat in ſua cuſtodia, qua nemo præter illum utebatur, recepturus privatum habitum, eo loci illam deponebat. Idem mos fuit etiam ſucceſſoribus ipſorum poſteris. Herodes autem regnum ade- C ptus, turrim hanc opportuno loco ſitam, magno ſumptu exædificatam, denominavit ab amico Antonio, & ſtolam, ita ut ubi reperta eſt, detinuit: ratus eò magis obnoxium ſe habiturum populum. Idem fecit Archelaus filius ejus, & ſucceſſor: cujus regno in provinciam mutato, Romani ſimul & pontificiæ ſtolæ poſſeſſionem nacti ſunt, in cella ad hoc ipſum ſtructa repoſitæ, & obſignatæ ſigillo pontificum, atque cuſtodum ſacri ærarii, præfecto caſtelli accendente ibi lucernam quotidie. Hanc ſeptimo ante feſtum die præfectus exhibebat pontifici, qua purificata indutus ſacrorum tempore, ſequenti die rurſum eam reponebat in cellam, ubi antea condita fuerat. Id fiebat ſingulis annis ter jejunii tempore. Vitellius autem Syriæ præſes Jeroſolymam veniens, in ſacerdotum poteſtatem eam ſtolam tradidit, ut in templo poſthac ſervaretur. *Ioſeph. lib.* 18. *cap.* 6. *Antiq.*

MULIERES JUDÆORUM. PUTA

Puerperæ.

D Mulier cùm maſculum pepererit, immunda eſt dies ſeptem; cùm fœminam, quatuordecim: purificationis quoque dies hìc ſexageſimus ſextus, illic trigeſimus tertius præſcribitur, nec antè puerperæ ingredi ſanctuarium licet, quàm purificata fuerit. *Levit.* 14.

ORDINI CERTO AD STRICTI.

Sectæ Judæorum.

Sub Machabæis tres Judæorum ſectæ ſunt ortæ, quæ de rebus humanis inter ſe diſſentiebant, una Phariſæorum dicta, altera Sadducæorum, tertia Eſſenorum. Horum Phariſæi, quædam, at non omnia fato tribuunt, quædam verò in ſuo poteſtate eſſe ajunt, ut vel fiant, vel non fiant. Eſſæni verò omnia in fati poteſtate eſſe affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducæi fatum omninò negant, & è rebus tollunt, dicentes, nihil fataliter evenire hominibus, & omnia in noſtra ipſorum poteſtate eſſe, ut tam felicitatis nobis ipſi auctores ſimus, quàm infortunii, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus. *Ioſephus lib.* 2. *cap.* 7. *belli Iudaici, & l.* 13. *c.* 9. *Antiq.* Vide *Sadducæi, Samaritani.*

Phariſæorum ſeptem fuiſſe genera in Thalmud Judæorum E ſcribitur. Sichimita, qui ſectam hanc ob carnale aliquod commodum ſuſcepiſſet, uti Sichimitæ olim circumciſionem ob nuptias Dinæ Jacobi filiæ impetrandas. Impingens, quòd pedibus ſubinde in lapides impingeret. Sanguinem fundens, qui caput crebrò parietibus aut columnis illideret, donec multo manaret ſanguine. Mortariarius, quoniam calyptra caput opertus eſſet, ex qua, velut ex profundo mortario, proſpiceret prorſum tantùm, & deorſum, non ſurſum neque ad latera. Quid debeo facere, & faciam illud: qui inanis gloriæ cauſa his verbis utebatur, qualis fuit qui Chriſto reſponderat: Hæc omnia ſervavi à juventute mea, quid adhuc mihi deeſt? Ex amore, is dicitur, qui amore præmii ſectam eam profitetur. Ex timore, qui metu iræ Dei huic ſectæ nomen dedit. *And. Oſiander in cap.* 15. *Harmoniæ Euang.* Multas conſtitutionum à majoribus, per manus acceptas Phariſæi tradiderunt populo, quæ non ſunt ſcriptæ in lege Moſaica, & ideò Sadducæi his auctoritatem abrogant, dicentes, oportere eas tantùm ſervari, quæ ſcripto continentur. Atque hinc magna inter utroſque exorta eſt controverſia, dum ditiores ſtant à Sadducæorum partibus, Phariſæi cæteræ multitudinis F nituntur favoribus. *Ioſeph. lib.* 13. *c.* 18. *Antiq.*

Eſſæi, Judæ aſcetæ; id eſt, in ſtudio pietatis ſeſe exercentes, à Phariſæis & Scribis è diametro differentes, poſteri Jonadab filii Rechab, juſti illius, contemplationi plerumque addicti; unde etiam dicti ſunt Eſſæi, id eſt, contemplatores. *Suidas*. De iis *Ioſephus lib.* 18. *cap.* 2. *Antiq. Philo de Eſſænis, ut Euſeb. l.* 8. *Euangel. præpar. repetit*, ita ſcribit: Palæſtinam maxima gens Judæorum habitat, inter quos, qui dicuntur Eſſæi, comperiuntur plures numero, ut opinor, quàm quatuor millia. Eſſæi dicti, quaſi ſancti Græcè; quoniam Dei cultores præcipuè ſunt, non animalia ſacrificantes, ſed mentes ſuas virtute munitas offerendas Deo putantes. Nemo inter eos puer, nemo adoleſcens, propter inſtabilitatem ætatis; ſed viri omnes, aut ſenes ſunt. In civitatibus non habitant, exiſtimantes, ut contagionem aeris corporibus, ſic converſationem vulgi animo nocere. Horum alii agros colunt, alii pacificas artes ad utilitatem ſuam, & proximorum exercent; nec aurum nec argentum reponunt, nec ingentes agros laudant, ſed tantum colunt, quantum neceſſitati poſſit ſufficere. Ii enim ex omnibus penè hominibus ſoli G pecuniam, & fundos negligentes, virtute ditiſſimi putantur, facilitatem vivendi, & paucorum indigentiam, rectè magnas eſſe divitias judicantes. Nemo eorum tela, enſes, galeas, ſcuta cæteraque belli inſtrumenta factitat; ſed nec eas artes exercent, quibus facilè omnes in improbitatem labuntur. Nulla mercatura, nullus cauponatus, nulla eis cognoſcitur navigatio, omnes rapinæ occaſiones depelluntur. Nemo ſervus apud eos, ſed quum univerſi liberi ſint, alteri alteris ſerviunt. Omnes enim, ajunt, quaſi mater eadem natura genuit: quamvis non vocemur, ſumus tamen re ipſa fratres. Illam philoſophiæ partem ſolummodo approbant, qua de Deo, & de creatione omnium ſcrutamur: morali maximè invigilant, ad quam abſolutè conſequendam paternis legibus adjuvantur, quas rectè intelligere nemo ſine divino auxilio poteſt. Has ſemper quidem, ſed maximè ſeptimis quibuſque diebus docentur, dedicata enim ſeptima dies deputatur, in qua cæteris omnibus neglectis, ad ſacra loca concurrentes, quæ ſynagogæ appellantur, ordine ſub ſenioribus juniores conſidere ſolent, leguntur que Scripturæ diligenter, & H exponuntur à peritiſſimis. Diſcunt igitur piè, ſanctè, juſtèque vivere, triplici regula utentes, amore Dei ardentiſſimo, virtutis cultu diligentiſſimo, charitate proximi ferventiſſima. Quòd ſummè Deum diligant, multa nobis argumento ſunt, caſtitas perpetua, jurisjurandi nulla mentio, mendacii odium, & præcipuè quòd bonorum omnium, nullius mali cauſam Deum opinantur. Quòd virtuti ſtudeant, patet, quia pecuniam negligunt, gloriam ſpernunt, voluptatem oderunt. Charitatis autem argumenta ſunt, benevolentia, ſocietas, æqualitas; nullus enim domum habitat quæ omnium communis non ſit, unum ærarium, unus ſumptus omnibus eſt, Præpterea, veſtis communiter omnibus propoſita, communis cibus & potus, communis menſa, omnis denique vita communis eſt. *Hæc Philo.* De iiſdem tanquam Anachoretis *Plinius lib.* 2. *cap.* 7.

ΘΕΡΑΠΕΥΤΑΙ, cultores ſeu curatores, inquit Philo, apud Judæos dicuntur homines utriuſque ſexus, qui contemplationi rerum divinarum dediti, virtutem colunt, ſivè quòd eorum animos, qui ſe ad ipſos conferunt, medicorum inſtar, à vitiis perturbationum liberent, atque ſanent, ſive propter

purum

A purum, & ſincerum numinis cultum, & religionem. Hi cum primùm ad philoſophiam ſe contulerint, à cognatis, & re ſua familiari recedunt. Deinde omnibus vitæ curis repudiatis, atque urbibus relictis, aut in deſertis agris, aut hortis, aut montibus degunt, & quia diſſimilium commercia, & inutilia, & noxia eſſe norunt, vitam propheticam æmulantur atque exercent. In unoquoque cœtu eſt ædes ſacra, quam σεμνεῖον vocant, & monaſterium, in quo ſoli ſanctæ vitæ myſteria peragunt, nemine quicquam afferente, non potum, non cibum, nec aliud quicquam eorum quæ corporis neceſſitatibus ſerviunt; ſed leges, & oracula vatum, & hymnos, cæteraque, quibus ſcientia, & pietas augentur, & perficiuntur. Ac paucis ut abſolvam, cibum aut potum nemo eorum guſtaverit ante Solis occaſum. Nam philoſophiam quidem luce dignam judicant, tenebris corporis neceſſitates. Enarrant autem ſacra oracula, arcanis ſenſibus per allegorias eruendis. Omnem enim legem illi cenſent animanti ſimilem eſſe, cujus corpus ſit ipſa ſcriptura, & verba; anima verò, ſenſus obſcurus, ſub verbis deliteſcens. Eadem mulierum quoque ratio eſt, quæ θεραπευτρίδες appellantur, quaſi cultrices, vel cu-
B ratrices. *Svidas*.

Nazaræi apud Iſraelitas dicebantur, quaſi ſeparati, qui ſeſe Domino voto devoviſſent. Illi toto devotionis tempore à vino, & temeto abſtinebant, ab aceto pariter, ab uvis tam paſſis quàm recentibus. Comam quoque alebant, funeri nulli intererant. Completo devotionis tempore, devotum ſuum caput, præmiſſis libationibus, & ſacrificiis, in oſtio oracularis tabernaculi radebant, & cæſariem igni victimæ pro ſalute ſuppoſito injiciebant. Tunc tandem voto ſoluti erant, & cum cæteris verſari poterant. *Num.6.*

JUDÆORUM RELIGIOSA SOCIETAS CONSIDErata quoad materiam Cultus. Sic colitur Deus.

☞ *Ex Juſtitia religioſa illuſtretur.*

* HOMINES.

☞ *Huc omnia ea, quæ ad cultum Hominum religionis ergò pertinent, ſecundùm διανομὴν ſimul & διόρθωσιν religioſam, aut etiam ſuperſtitioſam.*

* Sic de Rabbinis ſuis Judæi adeò magnificè ſentiunt, ac loquuntur, ut ſine aliquo verborum honore vix aliquem nominent. Hinc illa toties: *Rab. Peloni, zihro libracah, Rabbothenu zihornam libracah, hedim neemanim, geone holani. Habemudæ holani nenora dehalma. Cebod mahelath ha-*
C *rab rabbenu:* id eſt, Rab. N. cujus fauſta memoria. Rabbini noſtri, quorum memoria in benedictione, teſtes veraces, ac fideles: Summates mundi, columnæ mundi, Lux mundi, Gloria celſitudinis. Magiſtri magiſtrorum noſtrorum. *Abenherra nocho Heden*: *Abenerra*, cujus in Paradiſo quies. *R. Gorſon meorath haggolah*, id eſt, qui lumen exulum. *Raſchi* ſuas explicationes fecit in Spiritu S. qui habitat in eo. Quid perſequar alios? *In lib. de anni translationibus*, dicunt Judæi ipſi: *Checamim haſu chizuh ledibrehem iother miſſchel thorah*: id eſt, Sapientes ſuis ipſorum verbis robur fecere majus, quàm ipſis legis verbis. Et *in Thalmud*: Qui contradixerit Moyſi, abſolvi poteſt; qui contradixerit Rabbinis, morte moriatur. *Serrarius lib. de Rabbinis.*

TEMPORA. FESTORUM CULTUS apud Judæos.

IN GENERE.

MOYSES, *teſte Joſeph. l. Antiq. 3. & Orig. ſuper Num.* ſta-
D tuit, ut inter dies, VII. quiſque dies obſervaretur Sabbathum; & inter menſes, VII. quiſque menſis ſabbathum eſſet menſium, in quo agerentur ſolennia ſacra, quæ dicerentur Sabbatha ſabbathorum; (unde Neomenia Tubarum primus dies menſis ſeptimi, Luna nova apparente) item inter annos, VII. quiſque annus, & in eo ſi quando Cananæam Judæi recepiſſent (quam tandem David, & Salomon reges aſſequuti ſunt) terra vacaret, id eſt, non araretur, & quæ ſua ſponte ferret, L. quoque ann. tribulibus eſſent, & extraneis communia.

Iſraelitæ ex Domini inſtituto menſe verno feſtum Paſchæ celebrabant, in quo quia nullo fermento per ſeptem dies utebantur, feſtum Azymorum fuit appellatum, in memoriam trepidæ emigrationis ex Ægypto. Deinde ſeptima ſeptimana à meſſis principio Septimanalia agebant, & Domino donaria offerebant. Tertiò poſt areæ & torcularis fructum perceptum, feſtum Umbraculorum agebant ſeptem diebus. Et in his trib. Feſtis omnes Iſraelitæ coram Domino apparebant, & donaria offerebant, pro ſuarum quiſque facultatum ratione. *Deut. 26.*

IN SPECIE. Sic colebatur Septimus annus.

Septimum annum Sabbathum eſſe, Dominus præcepit Iſraelitis, ut ſex annis fructus ex agris perciperent, ſeptimo terram non colerent, ſed ſexti anni ubertate fruerentur. Atqui ubi E
annorum ſabbatha ſeptem numero confeciſſent, hoc eſt, annos ſepties ſeptem, qui anni efficiuntur novem, & quadraginta, tum menſis ſeptimi die ſeptima, quæ dies eſſet propitiatoria, annum quinquageſimum, in omnibus finibus edito tubæ clangore conſecrarent, libertatemque omnibus incolis edicerent, ut in ſuam quiſque poſſeſſionem atque gentilitatem reveniret. Eo anno jubileum haberent, ſementem ne facerent, neu ſua ſponte reſtibilia demeterent, neu vindemiam facerent. *Lev. 25.*

Quinquageſimus annus, Jubileus.

Apud Hebræos ex Moyſis inſtituto, quæ tellus ſua ſpontè ferret, quinquageſimo an. tribulibus, & extraneis communia erant. Hunc Hebræi annum Jobleum dixere, qui quinquagenarius dici poteſt. Id enim Jobel Hebraicè valet, ut Euſebius ſcribit. Hoc annorum ſpacio videntur mihi Hebræi à Protoplaſto tempora dimenſi, ut Græci poſteà Olympiadibus, Romani Luſtris. Quinquageſimo igitur quoque anno debitæ relaxabantur pecuniæ, & Moyſis inſtituto libertate donabantur ſervi, prædia quæ vilius veniſſent, antiquis poſſeſſoribus reddebantur. *Sab. lib. 3. En. 1. Reddit Euſebius ex Philone*, agrorum vacationis rationem, *in 8. Evangelicæ præparat.*

Septimanalia.

Septimanalia ſolennia ſacra ſeptimorum. Sicut enim inter F
dies ſeptimus quiſque feſtus agebatur ſabbathum, ita inter menſes ſeptimus quiſque menſis ſabbathum erat; & vocabantur ea ſacra, Sabbatha ſabbathorum, quibus donaria Domino offerebant. *Polyd. lib. 5.*

Feſtum indeſinens.

Secundùm Joſephum, & Origenem ſuper Num. Primus dies ſolénis Dei erat, qui appellabatur Indeſinens, de iis n. manducabatur, quæ ſine ulla prorſus interruptione matutinis, & veſpertinis ſacrificiis offerebantur, quia juſtus debet ſemper diem feſtum agere, id eſt, orare. *Polyd. lib. 5. c. 7. de Invent.*

Septima dies, Sabbathum.

Sabbathi origo ex eo cœpit, quòd dicitur, Benedixit Dominus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſavit ab omni opere ſuo, Geneſis 2. Præceptum de obſervatione Sabbathi frequenter in lege repetitur, ut homo id diligenter obſervet, & ut veram requiem adipiſci laboret. *Exod. 31. Levit. 19. 24. & 16.* Item in præceptis Decalogi, ſolius mandati de obſervatione Sabbati ratio redditur. *Exod. 20.*

Paſcha. G

Paſchæ inſtitutionem in Ægypto factam à Moyſe, *pete ex cap. 12. & 13. Exod.* Namque Dominus eum diem, quo à jugo Pharaonis liberati fuerunt, memoriæ mandari præcepit; utque in ejus rei ſignum abſtinerent quotannis ſeptem diebus à fermento, & panibus azymis uterentur; quinetiam ut Domino in poſterum omnia primogenita ſacra eſſent, ſive offerrentur, ſive redimerentur. *Exod. 13.* Itaque menſe primo Niſan, Græcis Xanthico (unde principium ſumebat annus) ſub plenilunii diem id eſt, circiter XIV. diem Lunæ, ſole in Arietem tranſeunte, quia iis diebus ex Ægypto egredi contigiſſet, myſticum agnum occidebant, ac Paſcha dicebatur, id eſt, tranſitus. Aliud autem ſolemne Paſchæ, aliud Azymorum erat; & licet conjuncta viderentur Azymis Paſchæ ſolemnia ſacra, principium tamen Azymorum tantùm ad finem Paſchæ conjungebatur, & Paſcha ille ſolus dies appellabatur, in quo agnus occidebatur; reliqui Azymorum dies vocabantur, & id ſolemne ſeptem diebus celebrabatur. *Lev. 23.* Sed & Paſcha nono Maii iis inſtitutum, qui juſto tempore die 14. primi menſis non fuerant mundi, H
vel profectione neceſſaria impediti, ut cum aliis non potuerint Paſcha comedere. *Num. 9.*

Spicarum Manipuli.

Manipuli ſpicarum feſtum Judæis proximo die poſt Sabbathum ſanctum. Tum ferebant manipulum novarum ſpicarum ad ſacerdotem: is levabat coram Domino, ut acceptabile eſſet. *Lev. 23.*

Judæi convivia cum ſuis ſtudioſis celebrant die 13. Maii, quem 33. numerant à manipulo oblato, quod aliquando peſtis, quæ horribiliter graſſata triginta millia ſtudioſorum extinxerat, tum remiſerit. *Eberus.*

Hebdomadum, Pentecoſtes feſtum.

Poſt ſeptem hebdomades Paſchæ, Pentecoſtes feſtum die ſeptimo menſis tertii, Sivan. Sunt enim 50. dies à manipulo Spicarum oblato poſtridie Paſchatis. Eo die Iſraelitis Lex de cœlo in monte Sinai data. *Exodi 20. & 21. Levit. 16.* Id tempus Aſarca, id eſt, Quinquageſimam vocabant: item feſtum Hebdomadum, tum panes fermentatos offerebant.

Jejunii feſtum.

In quarto menſe Jejunium fractarum tabularum Le-
A gis obſervatum eſt, *Exod. cap. 32. verſ. 33. Joannes Garcæus.*

Jejunii deſolationis.

In quinto menſe Jejunium deſolationis accidit, ſub Nebucadnezare primùm, & poſt annis, 680. ſub Veſpaſ. quando politia, an. 1582. conſervata, prorſus concidit. *Jo. Garzæus.*

Tubarum feſtum.

In ſeptimo menſe, qui Thyſri dicitur, primo die divino mandato Judæi celebrabant feſtum Tubarum, quod Hebræi vocant memoriam clangoris, qua populum de liberatione Iſaac ab immolatione commonefieri dicunt. *Levitici 23.* A Judæis recentibus vocatur & celebratur hic dies initium novi anni, qui & primos hujus menſis dies decem, vocant decem dies pœnitentiæ, quibus dant eleemoſynas multas. Decima dies hujus menſis fuit quotannis expiationis celebritas, cùm Deus populo Judaico vituli idololatriam ignovit, & hoc unico die jejunium mandato Dei ſtrictiſſimè ſervant. *Levit. 23. Jo. Garc.*

Tabernaculorum feſtum.

Poſt areæ, & torcularis fructum perceptum, die XV. ſeptimi menſis, circa VII. Octob. tabernacula fiebant; quæ dies Græcè
B Scenopegia dicebatur, quia in umbraculis ex perſea palma, myrto & ſalicibus confectis, eſſent eſcas ſeptem diebus, ob id quòd eorum majores ex Ægypto remigrantes domum, tabernaculis uſi eſſent. *Levit. 25. & Exod. 23.* Decima verò die ſolemne erat Repropitiationis: in hac ſola die Pontifex induebatur omnibus pontificalibus indumentis, & tunc ingrediebatur Sancta Sanctorum. *Origenes ſuper Leviticum 13.*

Eſdras & Nehemias, per VII. dies tanta celebritate hoc feſtum peregerunt, ut nunquam anteà à diebus Joſue, filii Num. 2. *Eſdræ 8. Vide de hoc Feſto Tabernaculorum plura in loco de Tabern.*

Encæniorum feſtum.

In omnem menſis diem XXV. circa XV. Decembris incidit feſtum Encæniorum, quæ fuit feſtivitas octo dierum. Ipſum nomen Renovalia, renovationem ſeu dedicationem ſignificabat, quæ fit abſoluto novo opere. Exiſtimant autem alii, hoc feſtum initium ſumpſiſſe à Juda Machabæorum, qui templo recuperato, dedicationem eo die maxima lætitia fecit, ſacrificio divinitùs inſtituto, quinquennio poſtquam in eodem die menſis Casleu ab Antiocho Epiphane profanatum fuerat. Ac
C deinceps communibus ſuffragiis ſtatuit, ut eo die quotannis recordatio iſtius dedicationis, & mirandæ recuperationis templi perageretur. *1. Machab. 4.* Alii feſtum antiquius eſſe aſſerunt, nempè quod à reditu ex Babylone, templi fundamentis jactis, celebratum ſit. *Zac. 2. Jo. Garcæus de Tempore.*

Jejunii feſtum.

NABUCHODONOSOR urbem Jeroſolymorum obſidere cœpit anno Creationis 3347. decimi menſis die X. *4. Reg. ult. & Joſephus.* Unde Judæi ob varias calamitates hujus diei, totas ſequentes tres ſeptimanas Jejunium ſervant, à vino & carnibus abſtinentes, uſque ad 9. diem menſis Ab. Illud intervallum dicunt, Intra terminos. *Eberus.*

Conviviorum feſtum.

In Undecimo menſe, die decimaquinta, Judæi celebrant convivia, quòd tunc nova pars anni incipiat, & arboribus ſuccus redeat.

Dedicationis Templi.

Duodecimo menſe, tertio de Adar, templum de integro extructum, poſt exilium Babylonicum, magna celebritate ſacrificiorum, & lætitia populi dedicatum eſt, annis 515. ante
D natum Chriſtum. *1. Eſdr. 6.*

Jejunii.

Die XIII. menſis Adar, Judæi celebrant triſte feſtum, quod Jejunium Eſther nuncupatur, qui dies deſtinatus erat occiſioni gentis Judaicæ. *Eſther. 3. 9.*

Sortium.

Die XIV. menſis XII. circa 5. 6. Martii Judæorum Bacchanalia, feſtum Sortiùm dictum, à Mardochæo inſtitutum. Quo die Judæi extra Suſa habitantes, à cæde deſtiterunt, & ſeſe epulis dediderunt, læti ob inſperatam converſionem periculi in ſummam tranquillitatem. Hiſce diebus legunt in ſynagogis hiſtoriam Eſther, & quoties mentio fit Aman, pugnis & malleis ſcamna pulſant. *Eſther. 9.*

* *Pro Feſtis Judæorum obſervatio.*

Notant Scriptores, Judæos habuiſſe ſeptem feſta ſolemnia lege Dei inſtituta. Quinque autem auctoritate Principum populi, vel ſynagogæ ipſius. Priora erant Feſtum hebdomadarum Calendarum, ſivè Neomeniæ, in initio cujuſque menſis celebratum; Paſchæ, Pentecoſtes, Tubarum, expiationis, ſive Tabernaculorum. De his Feſtis videatur *Cap. 24. Exod. & L. B. Theat. vit. Human. Tom. IV.*

c. 28. Num. ac Lev. 25. Rationes verò eorundem tangit *S.* E
Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 20.

Feſta à Principibus inſtituta erant, 1. ob victoriam Judith de Holoferne. Ut traditur, *c. ult. Judith.* 2. à Mardochæo inſtitutum ob liberationem univerſæ gentis Judæorum, ab exitio quod illis minabatur Aman; & agebatur 14. die menſis Adar. *De hoc 9. cap. Eſth.* 3. quod inſtituerat Judas Machabæus ob victoriam de Duce Nicanore, & agebatur pridie Feſti Mardochæi, ut conſtat *ex fine lib. de Machab.* 4. idem Judas indixerat ob reſtaurationem, & dedicationem Templi à Gentibus profanati, idque 25. die menſis noni, per octo dies; eratque Feſtum Encæniorum. Ita *cap. 13. l. 1. Mach.* Hujus autem poſtremi duntaxat fit mentio in novo Teſtamento, ſic ut priora jam adveniente Chriſto abolita fuiſſe videantur.

LOCA. v. c. CULTUS.

TEMPLI, TABERNACULI.

☞ *Ex Juſtitia religioſa, & ſuperſtitionis titulo illuſtretur.*

ARÆ.

EPHOD.

☞ *De hoc ſub Divinationis loco.*

IMAGINES, SIMULACRA JUDÆORUM NULLA. F

MOYSES, *auctore Joſepho in 1. cont. App. & lib. 17. Antiq.* ſuis legibus prohibuit omninò ſimulacrum fieri, aut in templo poni. Ex quo quòd Cajus Imper. Petronium legatum in Syriam miſiſſet, eique mandaſſet, ut omni ope modiſque omnibus curaret, ſuum ſimulacrum in templo Jeroſolymis erigendum, Judæi, ne patrias leges frangerent, adeò reſiſtere cœperunt, ut jamjam ad arma ventum eſſet, niſi ut idem teſtis eſt, *lib. 18. Antiq.* Agrippa Judæorum rex à Cajo impetraſſet, ne hujuſmodi ſtatua in templo poneretur. *Polyd. de Invent.*

JUDAS Saphiræi filius, & Matthias Margalothi, doctiſſimi erant Judæorum, & interpretes patriæ legis præſtantiſſimi, ob idque chari populo, quod juventutem diſciplinis inſtituerent; totis enim diebus eis dabant operam, quotquot cupiebant in virtute proficère. Hi poſtquam cognoverunt morbum Herodis regis eſſe incurabilem, concitaverunt juventutem, ut ſublatis operibus, quæ rex præter patriam conſuetudinem fecerat, propugnatores pietatis ſe oſtenderent, debitum inde expectantes præmium: Nam hanc eſſe Regi cauſam, cùm calamitatum domeſticarum, tum poſtremò præſentis morbi, vi- G
delicet, quòd contentis legibus multa novare auſus ſit. Inter cætera ſupra majorem portam templi dedicaverat aquilam auream magni ponderis, cùm tamen lex vetet imagines ſtatuere, aut conſecrare animantium effigies. Quamobrem doctores hi auctores erant ſuis diſcipulis, ut aquilam illam detraherent. Etſi enim res videatur non carere periculo, tamen etiam jucundæ vitæ præponendum eſſe honeſtum obitum, ſi contemnatur propter tuendas leges patrias; quandoquidem ſempiterna fama nullo ſæculo paſſura ſit gloriam eorum intermori, & alioquin ignavos juxta ac fortes eundem manere interitum. Itaque claro meridie aſcendentes, detractam aquilam conciderunt ſecuribus, inſpectante congregata in templum multitudine. Dux regius, majorem aliquam conſpirationem metuens, occurrit eò cum valida ſuorum manu, cohibiturus demolitores aquilæ. Facilè reliquis disjectis, circiter XL. juvenes reſiſtere auſos comprehendit, cumque his auctores facinoris Judam, & Matthiam, turpe putantes cedere, omneſque ad regem perduxit. Quo rogante, quo freti auſi ſint ſacratam imaginem demere, ajunt ſe & deliberaſſe id multò anteà, & deliberatum exſecutos, ut fortes viros decuit. Ab Herode igi- H
tur vivi ſunt exuſti. *Joſephus l. 17. c. 8.*

PILATUS Judææ præſes, à Cæſarea Jeroſolymam traducto in hyberna milite, ſigna cum effigie Cæſaris in urbem intulit ad legis Judæorum contumeliam, qua cautum eſt, ne habeant hujuſmodi effigies; & ideò qui ante hunc fuere præſides, cum ſignis aliter inſignitis ſolebant urbem ingredi. Primus Pilatus ignaris omnibus noctu illatas effigies Jeroſolymis ſtatuit. Quod ubi cognitum eſt Judæis, magno agmine petierunt Cæſaream, ibique per multos dies ſupplices oraverunt præſidem, ut transferret illas imagines aliò. Pilato verò pernegante ſe facturum, quod conjunctum eſſet cum injuria Cæſaris, cùm Judæi precari non deſinerent, ſexto pòſt die juſſis clàm in armis eſſe militibus ſedit pro tribunali in ſtadio, capta loci opportunitate, quod aptiſſimus eſſet inſidiis. Ibi compellatus iterùm de eodem negotio, ſignum dat militibus, ut eos circumveniant, mortem minitans, niſi quamprimùm quieſcerent, & ſuam quiſque domum diſcederent. At illi procidentes humi, & exertos præbentes jugulos, manifeſtè præ ſe ferebant, vita ſibi chariorem eſſe obſer-

A vationem legis patriæ. Tum Pilatus admiratus tam conſtans legum ſtudium, continuò reportavit eas imagines Cæſaream Jeroſolymis. Deinde aquæ ductum ſtruere aggreſſus eſt ex ſacro ærario, inducturus aquas Jeroſolyma à ducenteſimo ſtadio. Id ægerrimè tulit populus, & congregati per cœtus numeroſos uſque ad multa hominum millia, vociferationibus conabantur eum deterrere à propoſito; nonnulli verò, ita ut fit apud inconditam multitudinem, etiam conviciis laceſſebant præſidem. At ille milites ſub populari habitu clàm armatos fuſtibus juſſit reliquam multitudinem corona cingere, & quàm primùm vulgus cœpit jacere convitia, dedit illis ſignum ex compoſito. Illi ſuprà quàm mandatum erat, uſi ſunt fuſtibus, tumultuatores & quietos cædentes, nullo diſcrimine. Ibi tam inclementer accepti inermes ab inſtructis, pars occiſi ſunt, pars diſceſſerunt ſaucii, atque hoc modo compreſſa eſt ſeditio. *Ioſeph.l.*18. *c.*4.

A L I Q U A.

Iſraelitæ in deſerto Sina vitulum aureum, ex monilibus & inauribus ſuis, Aaronem conflare coegerunt. *Vide locum Idololatrarum.*

B Moyses Dei juſſu in deſerto Serpentem æneum erexit, quem qui intuerentur, à morſu ſerpentum venenatorum, vel tuti eſſent, vel liberarentur. *Exod.*15.

Jeroboam, defectione facta à Roboam Judæorum rege, ut religionis ſchiſmate decem tribus planè à Judæis abalienaret vitulos aureos in Bethel, & Dan erexit, eoſque octavo menſe dedicavit. 3. *Reg.* 12.

U N G U E N T A.

Unguentum unctorium ſacrum, ex Dei inſtituto, apud Iſraelitas, quo tabernaculum oraculare, arca, oraculi menſa, candelabrum, ara ſuffitoria & victimaria, labrum, ſacerdotes ungebantur; in profanos uſus convertere non licebat, neque illud imitari, pœna capitali. Fiebat autem ex myrrha cinnamomo, calamo aromatico, iride & oleo. Sic neque ſuffimen ex ſtacte, croco, galbano odorato, & thure, ad alios uſus, quàm ut in tabernaculo adhiberetur, licebat convertere. *Exod.* 30.

* L I B R I S A C R I.

Eam Judæi recentiores libris ſacris venerationem habent, ut vel illis inſidere, piaculum cenſeant.

Habent autem in magno honore ſuum Thalmud, ſic ut
C eum non vereantur appellare, *Michthebe hakkodeſch*, Scripturas ſanctitatis. Et illum, ait Rabad, ſuper ſe acceperunt, & multorum opera ſapientum docuerunt omnes ex ordine generationes, & in illum conſenſerunt Iſraelitæ omnes, eique quiddam addere, vel demere, nefas.

De Thargum verò *Paulus Burgenſis*, Translatio, inquit; Chaldaica apud Judæos tantæ eſt auctoritatis, quantæ ipſe textus. Idem docet *Lyran.& Bellarmin.l.*2.*de verb.Dei*, *c.*7.

N O M E N D E I.

☞ *Pete ex loco de Iuramento. Tit. Forma Iuramenti. Quomodo.* §. *Iudæorum Iuramenta.*

D O N A R I A.

Sacerdotes Judæorum, volentes populum frequenter offerre, permittebant, ut ea, quæ offerri poterant, venderentur in templo. Hac etiam de cauſa dicebatur, aurum templi ſanctius eſſe templo, & donum quod erat ſuper altare, majoris eſſe reverentiæ, quàm ipſum altare. *Matth.*23.

R E D I T U S S A C R I.

Δεκάδα, hoc eſt, decimam partem omnium frugum, Leviticæ tribui populus Iſraeliticus ex lege debebat. Rurſum ex
D ipſis decimis, Levitæ, hoc eſt, inferior miniſtrorum gradus, decimas dabat ſacerdotibus; & hæc eſt quæ appellatur ἀποδεκάδα. Erant quoq; & aliæ decimæ, quas unuſquiſque de populo in ſuis horreis ſeparabat, ut comederet eas, cùm iret ad templum, in urbe Jeruſalem, & in veſtibulo templi, & ſacerdotes, ac Levitas invitaret ad convivia. Erant autem & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant, quæ Græco ſermone appellantur δευτεροδεκάδη. At verò primitiva quæ de frugibus offerebant, non erant ſpeciali numero definita, ſed offerentium arbitrio derelicta. Traditionemque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, ſed magiſtrorum arbitrio volitam, qui plurimum, quadrageſimam partem dabat ſacerdotibus, qui miminum, ſexageſimam: inter quadrageſimam, & ſexageſimam licebat offerre quodcunque voluiſſent. *Hieron.lib.*24.*in Ezechielis c.*45. in libello ad Fabiam, de cibis, & primitiis ſacerdotum, rem hanc luculentiùs explicans, dicit: Primitiæ ciborum, & omnium frugum, atque pomorum, offeruntur antiſtiti, ut habens victum, atque veſtitum, abſque ullo impedimento ſecurus, & liber ſerviat Domino. Primogenita mundorum animalium accipiunt ſacerdotes, immundorum precia, hominum quoque primi partus redimuntur. Et quia conditio humana naſcendi eſt communis, pretium æqualiter offertur, ſic moderatum & leve, ut nec dives intumeſcat, nec tenuis prægravetur. Æditui & janitores accipiunt decimas, & rurſum decimas decimarum offerunt ſacerdotibus, tantò illis minores, quantò ipſi majores populo. Quod primitiarum ſuo quiſque arbitratu, ſicut *Hieron.* ait, plus minuſve dabat, illud tamen ter quotannis facere debebat. Primùm enim circa Paſcha, quum fruges matureſcere inciperent, ut eſt in *Levit. c.* 2. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis eas igni, & confringens in morem faris, offeres primitias tuas Domino. Deinde ad feſtum diem Pentecoſtes, panes ex novis frugibus confectos. Poſtremò circa feſtum diem Tabernaculorum, fruges ipſas jam collectas offerebant. *Polyd. l. 6. c. ult. Rerum invent.* Cur primogenita offerrentur Deo, cauſa ponitur *Numer.* 3. ubi legimus: Loquutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Ego tuli Levitas è filiis Iſrael pro omni primogenito, qui aperuit vulgam in filiis Iſrael, eruntque Levitæ mei; meum eſt enim omne primogenitum. Et, Percuſſi primogenita in terra Ægypti, ſanctificavi mihi quicquid primum naſcitur in Iſrael F ab homine uſque ad pecus. De interitu primogenitorum Ægypti mentio fit, *Exod.* 12. Sanè ſinguli primogeniti undecim tribuum, quando primi qui naſcebantur in tribu Levitica, ad templi miniſterium applicabantur, de ſacerdotibus redimebantur quinis ſiclis. *Polyd. de invent. rerum.*

JUDÆORUM RELIGIO CONSIDERATA

Respectu Instrumenti, Quod Vel In HOMINE INEST.

Ut ſunt.

Orationes, Preces Judæorum.

Moyses præcepit Iſraelitis, ut trajecto Jordane, Simeonii Levitæ, Judæi, Iſſachariani, Joſephei & Beniamitæ in monte Garizim ad bene precandum populo ſtarent; ac Rubenitæ, Gadini, Aſeriani, Zabulonii, Danii & Nephtalenſes, in monte Ebal ad imprecationem. Tum Levitæ clara voce pronunciabant: Execrabilis eſto homo, qui ſimulachrum fecerit, qui parentibus maledixerit, qui alterius terminum ſummoverit, qui G cæcum à via averterit, qui judicium perverterit, qui ſuæ novercæ concubuerit, patriſve ſui gremium detexerit, qui cum beſtia rem habuerit, qui cum ſorore, vel ſocru inceſtum commiſerit, qui alterum occultè ceciderit, qui donum acceperit, ut homini per injuriam vitam eripiat, denique qui legis dicta nec præſtitiſſet nec feciſſet. Et univerſus populus ad ſingula reſpondebat, Amen. *Deut.c.*16. Has benedictiones & imprecationes Joſue paulò pòſt reipſa præſtitit. *Conſule octavum cap. Ioſue.*

V O T A J U D Æ O R U M.

Moyses Iſraelitis præcepit: Si votum Deo tuo nuncupaveris, nolito committere, ut non reddas; id enim exiget à te Deus tuus, itaque culpam commiſeris, cùm ſi à vovendo abſtinuiſſes, non fueris in vitio. *Deuteron.* 23.

Quænam vota Iſraelitarum rata, quæ irrita eſſe deberent, pete ex libro Numerorum. Si filia voviſſet, patre non contradicente, voto tenebatur; ſi contradixiſſet, ſolvebatur. Si uxor, marito tacente, vel approbante, tenebatur; ſin repugnaret maritus, liberabatur. Sin maritus tacuiſſet primùm, poſteà verò diſſolviſſet, mulieris culpam ſuſtinere cogebatur. *Num.c.*30.

Votorum redemptio apud eoſdem qualis à Domino inſtituta fuerit, *pete ex Levit.cap.*27. H

Concilia Et Synodi Religiosæ Judæorum.

Judæi Eſdræ opera, Xerxe rege permittente, in patriam reverſi, dum divinum cultum, longa in aliena terra mora, in peregrinos mores dilapſum, reformare nituntur, multis ex alia gente (id quod ipſorum lege, ne fieret, cavebatur) uxores duxiſſe inuentis, omnes ad eas conjugio, etſi jam liberos nepoteſque ſuſceperant, pellendas convenerunt, pluris in eo religionem, quàm alia, quæ in vita chara eſſe debent, facientes. *Fulg. l.*1. *c.*1.

Peregrinationes.

Dei juſſu Judæi quotannis tria feſta Jeroſolymis celebrare cogebantur, nempè Paſcha, Pentecoſten, & Scenopegia. Itaque paſſim ex tota Judæa eò conveniebant, ii etiam qui inter gentes vivebant. *Ioan. Garcæus.* Ad ea parentes quoque Meſſiæ cum puero aſcenderunt Jeroſolymam: ipſe quinetiam Jeſus in feſto Pentecoſtes illic ſe manifeſtare, in feſto Paſchæ ibi crucifigi voluit.

Sacerdotes Bethel, imò fanatici Bethaven, temporibus Paſ-

A chæ, & Pentecoſtes, & Scenopegiæ, quando per Sichem, quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Jeroſolymam, ubi ſolùm licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui inſidiarentur peregrinantibus, ut potiùs vitulos aureos in Dan & Bethaven, quàm in Jeroſolymis in templo adorarent Deum. *Hieron. lib.*2. *in Oſeæ cap.*7.

Opum Communio Inter Judæos.

Eſſeni Judæi divitiarum contemptores ſunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur; neque invenias alteri alterum opulentia præſtare, legemque ſibi dixerunt, ut qui diſciplinam ſuam ſectari velint, bona contubernio publicent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareat; ſed permixtis facultatibus, velut inter fratres, unum ſit omnium patrimonium. *Ioſeph.l.*2.*c.*7. *belli Iud.*

C o n i u g i u m J u d æ o r u m.

Matrimonio copulatos quoties coierint, aqua lavari lex jubet, & uſque ad veſperum immundos eſſe denunciabat.

JUDÆORUM RELIGIO CONSIDERATA

Respectu Formæ Sive Modi.

Huc referuntur alia tanquam

B PRIMARIA. CUJUSMODI SUNT

Sacrificia Considerata Respectu

Materiæ.

Omnibus ſacrificiis Iſraelitarum farina mundiſſima ex præſcripto legis adiiciebatur, adhibebatur & oleum, quod ſacris infundebatur. Agnus manè & veſperi immolabatur, ſabbathis geminatæ hoſtiæ ad aras admovebantur.

Diabolum à ſale abhorrere, ratione optima nititur, quia ſal æternitatis eſt, & immortalitatis ſignum, neque putredine neque corruptione infeſtatur unquam, ſed ipſe à corruptione atque putredine omnia vindicat. Diabolus verò nihil procurat aliud, quàm rerum creatarum corruptionem, & diſſolutionem, ut generationem Deus. Quamobrem ſalem menſæ loci ſancti, omnibuſque universè ſacrificiis apponi lex Dei imperat, quod mandatum ab Hebræis Plato videtur accepiſſe, cùm ſalem à diis affirmat diligi. Contrà verò ſacrificiis vinum aut mel lex Dei vetat adhiberi, quod faciebant Ethnici, innuens, Deum ſine adulatione attentè, prudenter & ſobriè accedendum eſſe.

Perſonarum. Huc illi

Qui ſacra offerunt.

C Duobus ab initio ſacrorum generibus Hebræi uſi ſunt, quorum unum Holocauſtum dixerunt, quando primores gentis, ſive bovem, ſive agnum, ſive aliquod aliud animal, modò anniculum maſculumque fuiſſet, immolabant: tum ſacerdotes victimali cruore oram altaris perfundebant, inde hoſtiam membratim diſſectam ſuper aram cremabant. Alterum genus Plebejum, & pro gratiarum actione fiebat, in quo animalia majora anniculis offerebant, cruoreque ſuper aram diffuſo, renes, adipem, fomenta imponebant flammis, pectora & crura dextera ſacerdotibus dabantur; quæ ſupererant, intra biduum illi edebant, qui ſacrificium feciſſent. Inopes columbas, aut duas turtures offerebant, quarum altera in holocauſtum abibat, alteram ſacerdotes ſortiebantur. *Polyd.lib.*5.*c.*7. *de Invent.*

Pro quibus offeruntur.

Judæi pro Romanis principibus ſubinde ſacrificia faciebant, ex communi impenſa quotidie; cumque nullas alias hoſtias ex communi ne pro filiis quidem peragerent, ſolis Imperatoribus hunc honorem exhibebant, quem alioqui hominum nulli perſolverent. *Ioſeph. lib.*2. *contra Appionem.*

Qui ſacris intereſſe poſſint.

D Puerperam, quæ marem ſit enixa, 40. quæ fœminam, 80. diebus à ſacris Moyſes arcet.

Finis, Cur. Sacra Judæorum.

☞ *Vide in loco de Sacrificio.*

Impetratoria.

Sacrificia Iſraelitarum pro ſalute qualia fuerint, *pete ex cap.*3. & 7. *Levit.*

Expiatoria.

Peccata ſic expiabant. Qui imprudens deliquiſſet, agnam aut hœdum anniculum offerebat; qui occulti criminis conſcius, ariete eum expiari oportebat. Principio menſis, duo boves cum uno ariete, hœdo uno, & ſeptem anniculis agnis, piaculi nomine mactabantur. Septimo ineunte menſe, taurum, arietem, & ſeptenas agnas cum uno hœdo immolabant. Aliciebantur bini hœdi, horum unus extra fines miſſus multitudinem expiabat, alter in ſuburbanis cum totis velleribus cremabatur, pontifex taurum in id ſacrum, & arietem in holocauſtum dabat, &c. quæ ipſe Joſephus latè proſequitur. *Polyd.lib.*5. *c.*7. *de Rerum invent.*

Sacramenta, Ut Est E

Circumciſio.

Abraham credidit Deo, & ex ejus juſſu xcix. natus annos, ſe & Iſmaelem filium ex Agar ancilla ſuſceptum, 13. agentem annos, & omnes vernas ſuos circumcidit, quò deinceps, ſecundùm præceptum Domini, præputium carnis ſobolis ex ſe futuræ circumcideretur. Cujus rei D. Cyprianus rationem reddens, ita ſcribit: Quum jam fidei tempora appropinquarent, imperata eſt circumciſio, & pars illa corporis, in qua eſt voluptatum ſeminarium, & libidinis officina, juſſa etiam in parvulis amputari, ut proprii primitias ſanguinis ei, qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent. Poſteà verò ſub Moyſe præceptum durum de circumciſione tradidit Dominus Iſraelitis, per Moyſen, inquiens: Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Siquidem id accidere non poterat culpa pueri, ſed parentis: quare admodùm grave videbatur, ut negligentia patris deberet malo eſſe filio. Quapropter putant illam pœnam indictam eſſe patri, quum ſubiiceretur: Delebitur anima illa. At contra plures ad filium referendum du- F cunt, quò violatio præſcripti majoris ſit timori, quando innocens ob alterius culpam plectitur. Verùm D. Ambroſius neutram opinionem ſatis probat, qui maſculi nomine mentem ſignificari autumat, quòd ut ſexu potior ille eſt, ita hujus mentis vigor ſit validior. Ergo, ait, hæc ratio eſt, quòd omnis mens quæ non fuerit circumciſa à ſuperfluis corporalibus, & purgata ſolemni munere, ut exuat ſe paſſionibus, & vitiis, interibit. Non caro, inquit, interibit, non homo; ſed anima illa peribit, quia potuit ſalva fieri, ſi habuiſſet purgationem. *Polyd. lib.*4. *c.* 4. *de Rerum invent.* Fiebat autem circumciſio ad hunc modum: Præputium præputabatur machæra petrina. Atque Deus ita fieri juſſit Joſue, dicens: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael. Atque hoc fuit circumciſionis initium, quandoquidem non modò antè Abraham, ſed nec prior Moyſe, de vitæ inſtitutis inter gentes ſanxit quiſquam. *Teſtis eſt Ioſephus adverſus Appionem.* Et propterea *D. Io. Chryſoſt. hom.*52. *in Matth.* ait, circumciſionem omnium aliorum mandatorum longè antiquiſſimam eſſe.

SECUNDARIA, VIDELICET G

C i b u s.

Moyses in lege ſacra: Si filia ſacerdotis, inquit, cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ ſanctificata ſunt, & de primitiis non veſcetur. Sin autem vidua, vel repudiata, & abſque liberis reverſa fuerit ad domum patris ſui, ſicut puella conſueverat, aletur cibis patris ſui. *Marul.l.*4.*c.*7.

C u l t u s C o r p o r i s.

Hemerobaptiſtæ apud Judæos vocati ſunt, qui ſeipſos, & ſua veſtimenta quotidie abluebant. *Crinitus.*

V e s t i b u s.

Iſraelitæ ex Domini præcepto in limbis ſuorum veſtimentorum fimbrias faciebant, & fimbriis vittas hyacinthinas addebant, qu as ſubinde intuentes, Domini præceptorum recordarentur. *Num.*15.

Judex, Judicium. H

* Definitio Et Etymologia.

JUdex, Græcè κριτὴς, & κρίνω, judico dicitur. Venitque à judico, quaſi jus dico, & judicatio, quæ eſt juſti judicium, *ſecund. Ariſt. lib.*1. *Polit.* Hinc etiam judicium, qui eſt actus judicis, in quantum judex eſt, id eſt, in quantum eſt jus dicens, ideò eſt actus juſtitiæ, id eſt, executio juſtitiæ, *ſecundum B. Thom.* 2.2. *qu.* 60. *ar.*1.

Judex eſt vir bonus, juriſdicundi, & æquitatis peritus, ad id muneris publica auctoritate vocatus. *Claudius Cantiunc. de off. iud. lib.*9. qua auctoritate nitatur judex, *ibid.cap.*8.

Species Variæ, Et Potestas.

Ordinarius judex eſt, qui juriſdictionem jure ſuo, non alieno beneficio habet. Vel ex ſententia Juliani, & Papiniani, is dicitur, qui nativam, non dativam modò, juriſdictionem habet, hoc eſt, qui eam jure magiſtratus, non mandato ſpeciali obtinet. Vel vocatur ordinarius, apud quem legis actio eſt, *ex definitione Modeſtini, & Vlpiani verbis.*

Ordinariorum omnium non æqualis eſt natura, poteſtas, aut juriſ-

A jurisdictio; quidam enim majus, quidam minus imperium, aut etiam ſimplicem habent juriſdictionem.

Judex delegatus eſt is, qui juriſdictionem non ſuo jure, ſed alieno beneficio habet. Horum quidem alii à fortuna, ſeu culmine imperiali dati, ſimplici alii appellatione principis delegati, quidam ex ſacra juſſione dati, quidam pedaneo. *De quib. Cantiuncula affatim refert*. Sunt & Judices ex officio, quos arbitros appellamus, electi à litigantibus, dicti ab arbitrando, hoc eſt exiſtimando; neque enim illi judicant, prout eſt juris, ſed prout ipſis videtur æquum. Arbitrium Græci vocant διαιτητὴν.

Judex, Cognitor controverſiæ, & diſceptator, quaſi jus dicens aut jure diſceptans, Græc. κριτὴς δικαςὴς, Hebr. *Dattan*, qui componit lites, vindex, protector juris, à verb. *Din*, dijudicavit, contentiones forenſes vindicavit, contendit cum adverſantibus, exequutus eſt judicium. Idem ſignificat, quod *Dan*. Hinc δινάζω, δεινάζω, contendo, expropero injuriam. Et Latinum vindex, vindico. *Gen.* 15.14. *Jer.* 5.4. *à fine Pſ.* 68.6. Hebr. etiam *Miophat*, & judex *Scophet*, à verbo *Scaphat*, judicavit, dijudicavit, jus dedit. Eſt vox generalis, & quia in judicio duæ ſunt partes litigantes, quarum alteram juſtam, illamq; abſolvendam, alte- B ram verò injuſtam, hancque condemnandam eſſe, neceſſe eſt, ideò accipitur verbum *Schaphat* aliquando ſpecialiter pro defendere, ſeu vindicare bonos, & aliquando pro punire, & condemnare ſontes, & injuſtos. Cognationem habet cum *Schebet*, id eſt, virga, baculus, ſceptrum judicis inſigne, & judicii nota.

Judicium, κρίσις, δίκη, præterquam quòd ſit determinatio juris, ſive ſententia Judicis, accipitur communiter pro ea animi virtute, vel ſententia, qua decernimus, quid amplectendum, quid fugiendum, & vera à falſis, utilia à noxiis ſeparamus, ac nos ipſos, vel alios inſtruimus rationibus utrinque diſcuſſis. Unde etiam in priori acceptione definitur, legitima diſceptatio duorum aut plurium coram Judice. Omnia enim judicia, ait *Cic. pro Cecinna*, aut diſtrahendarum controverſiarum, aut maleficiorum puniendorum cauſa reperta ſunt.

* AD JUDICEM ET JUDICIA, REQUISITA, EORUMQUE ABUSUS.

Quatuor modis humanum judicium perverti, Anſelm. tradit, timore, cupiditate, amore, & odio, *de ſimit. mundi*: nihil adeò lucet in Judice, quàm ſic amare, & exhibere juſtitiam ſine omni acceptione perſonæ. Ita Cicero dixit, Exuit perſonam Judi- C cis, quiſquis amicum induit. Æquitas, cui judex obſequitur, ſiniſtram odii vel amoris dextram neſcit. Nam talis debet eſſe juris miniſter, ut in ejus manu nullius auctoritate perſonæ titubet, aut vacillet libra juſtitiæ. *Pet. Rav. in quad. ep.*

Officium officialium eſt hodie, jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare. *Pet. Bleſen.*

Eſt ſapientis judicis, meminiſſe ſe hominem, cogitare ſibi tãtum eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit, & creditum. Et non ſolùm ſibi ſoli poteſtatem eſſe datam, verùm etiam fidem habitam eſſe: meminiſſe, poſſeſquem oderit, abſolvere, quẽ non oderit, condemnare, & ſemper non quæ velit ipſe, ſed quid lex & religio cogat, cogitare. Animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſt. verſetur. Cum hæc ſunt videnda, tum illud eſt hominis magni judicii atque ſapientis, habere in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem; libidinem autem, & invidiam; metum, cupiditates omnes amovere, maximi æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nob. divelli non poteſt. *Pro Cluent.*

D Cum judici dicenda ſententia eſt, meminerit ſe Deum habere teſtem, id eſt, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius. 3. *Offic.*

Eſt ſapientia judicis in hoc, ut non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet; nec quantum ſibi permiſſum, meminerit, ſed etiam quatenus commiſſum ſit. *Pro Rabir. Poſth.*

Laborare debent judices, non modò quid dicant pro teſtimonio, ſed etiam quibus verbis utantur, ne quid minus moderatè poſitum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapſum verbum eſſe videatur. Vultu autem laborare, ne qua ſignificari poſſit ſuſpicio cupiditatis, ut & cum prodeunt, exiſtimatio ſit quædam tacita de illis pudoris, ac religionis; & cum diſcedunt, ea diligenter conſervata, ac retenta videantur. *Pro Font.*

Neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem amici cauſa vir bonus faciet, nec ſi judex quidem erit de ipſo amico; ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt. 3. *Offic.*

Senec. Med.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus eſt. E

Hor. 4. Carm.

Vindex avaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecunia,
Conſulque non unius anni.
Sed quoties bonus, atque fidus
Judex honeſtum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, & per obſtantes catervas
Explicuit ſua victor arma.

Ovid. 1. Triſt. 1.

Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
Quærere, quæſito tempore tutus eris.

* DE JUDICIBUS ET JUDICIIS.

APOPHTHEGMATA ETHNIC.

C. LUCILIUS dicere ſolebat, nolle ſe ſua ſcripta legi, nec à doctiſſimis, nec ab indoctiſſimis, quòd hi nihil intelligerent, illi plus ſaperent, quàm ut poſſet illorum judicio ſatisfacere. Id exprimebat hujuſmodi trochaico:

Perſium non curo legere? Lælium Decimum volo.

Erat Perſius illius ætatis omnium doctiſſimus habitus, Læ- F lius erat vir bonus, & non illiteratus; ſed nihil ad Perſium. *Refert M.T. cum aliis aliquot locis, tum lib. de Orat.* 2.

PYTHAGORAS, Qui de malis, inquit, pœnas non ſumunt, bonos affici volunt injuriis. *Stob. ſerm. de magiſtr.*

DEMOCRITUS, Damnandi ſunt (ajebat) nec abſolvendi, qui aliquid dignum exitio, aut vinculis, aliave pœna committunt. Si quis verò temerè abſolverit, lucri aut voluptatis gratia, injuſtè facit, & injuſtitiam ei cordi eſſe neceſſarium eſt. *Stob. ſer.* 44.

JAMBLICUS, Malum judicium omnis mali cauſam eſſe dicebat. *Stob. eod. ſerm.*

Q. FLAVIUS apud populum reus actus, accuſante C. Valerio, quum quatuordecim tribuum ſuffragiis damnatus eſſet, proclamavit, Se innocentem opprimi. Cui Valerius æquè clara voce reſpondit, Nihil ſua referre, nocens an innocens periret. Ea vox tam violenta reliquas tribus reo conciliavit, itaque reus, quem proſtratum credebat, abſolutus eſt. *Eraſ. l.* 6. *apopht.*

CALIDIUS ex prætura Hiſpanienſi accuſatus à Gallis, quum ſenſiſſet judicib. pecuniam contra ſe datam, in eos judices, qui parvo pretio corrupti eum damnaverant, exclamavit: Idoneam mercedem pro meo capite paciſci debuiſtis. *Bruſ. l.* 3. *c.* 10. G

BIAS dicere ſolebat, ſe malle inter inimicos, quàm amicos judicare. Nam ex amicis alterum prorſus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum fore. *Bruſ. l.* 10. *c.* 10.

DEMOCRITUS, Optimus (inquit) judex eſſe judicatur qui cito intelligit; & lente judicat. Alterum quidem eſt benevolentiæ, alterum autem diligentiæ exquiſitæ. *Ant. ſerm. de incorr. judic.*

Idem addebat, nihil inconſideratè agendum in judicio, ſed priùs deliberandum; nec cogitatione feſtinandum, ut aliquid plus, quàm licet, detur; nec lentè & cunctanter appetitio accuratè exercenda eſt, nec ad gratiam immutanda, nam inconſtans, & levis temerario deterior eſt. *Eod. ſerm.*

THEMISTOCLES oratus à Simonide poeta, ut amicum non adeò juſtam cauſam habentem, quàm commendatiſſimum haberet, reſpondit: Nec Simonidem fore bonum poetam, niſi menſuram modumq; in canendis carminibus, quæ ſcribebat, curaret, neque ſe bonum prætorem habitum iri, ſi legibus, ac juſtitiæ, alicujus gratiam præpoſuerit. *Fulg. l.* 6. *c.* 4. *& Plut. in apopht.*

ARCHITAS dicebat, judicem, & itam idem eſſe, pariter n. ad utrumq; confugiunt, qui injuria afficiuntur. Sentiens, tales oportere judices eſſe, ut oppreſſis ſint præſidio. *Refert Ariſt. Rhet.* 3. H

ARISTIDES quum inter duos privatos cauſam cognoſceret, & alter quòd Ariſtidem irritaret in adverſarium, extra cauſam multa commemoraret, quibus ille læſiſſet eum; Ariſtides interpellans hominem, Iſta nunc, inquit, miſſa fac bone vir, & ſi quid te læſit, eloquere; tibi enim in præſentia, non mihi judex ſedeo. *Pl. in Ariſt.*

Cuidam ab Alcamene ſciſcitanti, quamobrem ſeniores apud Lacedæmonios, plures dies ſumerent ad cognoſcendum in cauſis capitalibus? & ſi quis fuerit abſolutus, nihilominùs obnoxius ſit legi? Ideò, inquit, pluribus diebus cognoſcunt, quoniam ſi capitis diſcrimine erraverint, non eſt corrigendi conſilii poteſtas: oportet autem à cauſa liberatum, obnoxium manere legibus, quo fit, ut ſecundùm eandem legem liceat aliquid rectiùs de reo ſtatuere. Hoc temperamento proviſum eſt, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens, qui quamvis errore judicum ſit abſolutus, poteſt eadem denuò conveniri, pœnaſque dare legibus. *Plut. in Lacon.*

LYSIAS dicebat, judices eadem mente prædictos eſſe debere, qua legiſlatores. *Stob. ſerm. de magiſtr.*

Idem

A Idem interrogatus, cur munera à Meſſenis oblata non accepiſſet? Quoniam in leges juſtitiæ graviter peccaſſem, inquit. Maluit vir prudentiſſimus bona conſcientia judicare, quàm propter munuſcula à juſtitiæ tramite turpiter diſcedere. *Plut.*

Ageſilaus cum in cauſa quadam judex eſſet, & is qui accuſabat, rectè dixiſſet, patronus verò malè, qui tamen ſubinde repeteret Ageſilaum decere, ut legibus opitularetur, perinde ac ſi optimam haberet cauſam; hominis improbitatem reprehendens, ait: Si quis domum tibi oppugnaret, aut veſtem arriperet, num expectares, an architectus aut ſartor tibi eſſet auxilium laturus? Quo dicto indicabat, judici nequaquam convenire, ut opituletur iis qui contra leges aliquid delicti admiſerunt. *Plut. in Lacon. apopht.*

Hippodromus Sophiſta, Clementi tragœdiarum actori longè præſtantiſſimo quum apud Amphyctiones optimè re geſta negata eſſet victoria, quòd Byzantinus eſſet, atque id temporis Byzantium à Romanis obſideretur, proſiliens clamavit: Valeant appellantes, ac perperam de re judicantes: Ego, inquit, Clementi victoriam decerno. Quum alter hiſtrio appellaſſet Cæſarem, obtinuit Hippodromi ſuffragium. *Philoſtr. in Sophiſtis.*

B EPICTETUS, Nihil eſt, inquit, quod eum qui præeſt magis deceat, quàm ut neminem vel ſuperbè contemnat, vel indecorè admiretur, ſed ex æquo omnibus præſit. *Nat. ſerm. de iud. incorrupt.*

Sequentia dicta etiam ejuſdem ſunt. Sicut vera trutina, neq; à bona, & concinna corrigitur, neque per falſam examinatur: ſic etiam juſtus judex, neque à juſtis caſtigatur, neque apud injuſtos judicatur. Minimè in juſtitiis delinques, ſi ipſe in vita tua delicta caveris. Melius eſt ſententia juſtè pronunciata reprehendi ab eo qui merito ſuo damnatus eſt, quàm ſi injuſtè judicaveris jure à natura vituperari. Quemadmodum Lydius lapis judicat aurum, non autem ab auro examinatur, ſic & homo qui judicandi facultate pollet. Turpe fuerit judicem ab aliis judicari. *Stob. ſerm.* 9.

PHILIPPUS Macedo Machetæ cujuſdam pro tribunali ſedens cauſam cognovit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad juris æquitatem: itaque ſententiam tulit adverſus Machetam. Verùm quum is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia appellare, rex iratus, ad quem, inquit; nam appellandi verbum monarchis eſt inviſum. Hic Machetas, ad teipſum ò rex, inquit, ſi expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam. Ac tum quidem ſurrexit rex. Cæterùm po- C ſteaquam cauſam apud ſe meliùs perpendiſſet, intelligeretque Machetæ factam injuriam, judicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam, qua damnatus fuerat Machates, ipſe perſolvit. In uno facto quot regiæ virtutis argumenta? Non perſeveravit iraſci & provocanti, & ſomnolentiam publicè obiicienti, ſed per otium rem animo accuratiùs conſideravit, jam ab ira liber. Sit hoc civilitatis regiæque moderationis: Illud verò prudentiæ, quòd ingenioſo commento ſic damnatum exemit damno, ut regiam tamen in judicando auctoritatem non proderet: mulctam privatim, perinde quaſi ipſe damnatus eſſet, diſſolvit. *Plut. in apoph.*

Idem Harpalus pro Cratere propinquo ac familiari ſuo, qui injuriarum poſtulabatur, petiit à Philippo, ut reus mulctam quidem ſolveret, ſed à cauſa liberaretur, ne damnatus hominum maledictis exponeretur. Hic verò Philippus: Præſtat, inquit, ut ipſe malè audiat, quàm ut nos propter illum. Indulgebat amicis, ſed quatenus licebat, integra judicis opinione. *Plut.*

Duo pariter ſceleroſi ſeſe invicem accuſabant, cognoſcente Philippo: rex audita cauſa pronunciavit, ut alter exularet in Macedoniam, alter illum inſequeretur. Hoc Græcè ſonat jucundiùs, quòd φεύγειν & ad fugientem pertineat, & ad exulan- D tem, fugientem autem inſequimur. Neutrum igitur abſolvit Philippus, ſed utrumque damnavit exilio. *Plut.*

ALEXANDER orante accuſatore, altera manu aurem ſolebat occludere. Interrogatus, cur id faceret? reſpondit. Defenſori etiam dandus eſt audiendi locus. *Antoninus in Meliſſa p.* 2. *ſer.* 53. *Plut. ſic recenſet*. Initio quum in cauſis capitalibus ſederet judex, accuſatori alteram aurem occludebat: rogatus, cur id faceret? Alteram, inquit, integram ſervo reo.

Frater Antigoni Marſias litem habebat, ſed à rege poſtulabat, ut cauſa domi cognoſceretur: Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter jus agimus, meliùs fiet in foro, cunctiſque audientibus. Non impetravit hoc à rege fraternus affectus, ut vel tantillum de jure concederet. Ipſum autem de hoc dilemmate conſtrinxit: Si injuſtam cauſam habere te ſcis, cur litigas? Sin juſtam, cur fugis hominum conſcientiam, & ad domeſticas latebras rem fori pertrahis? non cariturus ſiniſtra civium ſuſpicione, etiam ſi ob bonam cauſam viceris. *Plut. in apopht.*

ANTIPHON, Si peccandum ſit in judicando, præſtat (inquit) accuſatum abſolvere injuſtè, quàm injuſtè perdere. Illud enim quidem peccatum, hoc verò impietas. *Stob. ſerm.* E

SCIPIO minor C. Livium prætereuntem cum vidiſſet: Hunc inquit, virum ſcio peieraſſe, verùm quoniam nullus illum defert, non poſſum ſimul & accuſator eſſe, & judex. Sit hoc in cenſore moderationis, & juſtitiæ exemplum. *Plut. in apopht.*

M. ANTONIUS dicere ſolebat, privatos quidem homines multos habere judices, principi autem nullum eſſe alium judicem quàm Deum. *Dion. Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.*

CHRISTIANORUM.

Ex Apophthegmatibus Laur. Beyerlinck.

Ut ſol non alius pauperi eſt, alius diviti, ſed omnibus communis; ita Judex nec perſonam ſpectare debet, ſed rei æquitatem. Reprehenſus coæternus Dei filius apud homines agens, quòd Sabbatho curaſſet; Nolite, reſpondit, ſecundum faciem judicare, ſed juſtum judicium judicate. Judicare dignè de ſubditis nequeunt (inquit *Greg. in Moral.*) qui in ſubditorum cauſis, vel gratiam, vel odium ſequuntur. *Ioan. cap.* 7.

Quin & verum illud Terentii eſſe, Judicem videre oportere, ne quis accuſandus ſit, idem clarè edocuit, dum ad eum F Scribæ, & Phariſæi adducunt mulierem in adulterio deprehenſam; inclinans enim ſe deorſum, digito ſcribebat in terram: cumque perſeverarent interrogantes, erexit ſe, dixitque: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Quo audito, unus poſt alium abiit. Natura quippè Apophthematis eſt compeſcere aliis inſultantes. *Ioan. cap.* 8.

Tantum autem meritò judicare cuilibet licere, quantum in ſeipſo expertus eſt, docuit ſuo exemplo Cæcus ille Euangelicus, qui à Domino viſum recepit. Judæi quippè eum vocantes, compellant, Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia homo peccator eſt: qui reſpondit: Si peccator eſt, neſcio, unum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video. *Ioan. cap.* 9.

Rogabat Liberium Epiſc. Conſtantius Imper. ſubſcriberet proſcriptioni, & excommunicationi Athanaſii: qui prudenter, & diſcretè, O Imperator, inquit, judicia Eccleſiaſtica decet cum maxima proferri juſtitia. *Trip. hiſt. lib.* 5 *c.* 17.

Boſo Arelatenſem Regem eò juſtiùs libet addere, quòd veræ juſtitiæ judiciique in ſeipſo exemplum exhibuerit. Cùm namque ob alapam Epiſcopo ſuo ſacris operanti inflictam, apud Othonem primum Rom. Imp. capitis damnatus eſſet, & G Archiepiſcopus cum clero pro illo intercederet; ipſemet reus ſe eorundem ſupplicationi opponens: Non eſt æquum, inquit, ut rectum Imperatoris judicium executioni non mandetur, cum non conveniat, vel ullum verbum è principis ore fruſtrà egredi. *Munſt. l.* 2. *Coſ. de Arelat.*

Clementiſſimus etiam Alphonſus Arag. rex nunquam ita manſuetudinis, & noxiæ lenitatis ingreſſus eſt fines, ut judicii æquitatiſve planè ſit egreſſus. Quare cùm equitum ſuorum quiſpiam multa per luxum, & libidinem abſorbuiſſet, graviter ære alieno opprimeretur; intercedentibus aliis, ne quod ære non poſſet, corpore lueret; reſpondit: Si tantum pecuniæ in ſui regis, aut patriæ commodum expendiſſet, audirem: nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt ut corpore luat. *Panorm. de Geſt. eiuſd.*

Habeat inter cæteros locum Throchonus Gratianopolitani Senatus Præſes. Erat vir nobilis, qui furore potuve percitus, ruſticum enſe diſtricto aggrediebatur. Hic fugam capit, at fruſtrà altero inſtanter eum conſequente: quid faciat? machæram, quam fortè ſecum habebat, educit, minas adiiciens juſtæ defenſioni. Alter vitæ prodigus innocentem urget, & pellit, donec ab eo H ipſo & loco, & vita per machæram pellitur. Res ad Trochonum judicem delata, qui æquitate cauſæ attenta: Licuit, inquit, machæra ſe contra enſem tueri: & id rectè, cùm liceat vim vi repellere, adhibito (ut dicunt Canoniſtæ) inculpatæ tutelæ moderamine.

Adiiciam & aliud facetum. Quodam Principe ad venationem egrediente, Aſtronomus qui fortè in illius aula, rogatus qualis aura futura eſſet, ſerenam prædixit: quod audiens colonus, pluviam afferit, idque evidentibus ſignis. Vix nemora ingreſſus Princeps, denſiſſimus imber oboritur. Laudat itaque colonum ſuum; & ita cenſeo, inquit, aſtrorum curſui poſthac intendat, tu verò (ad Aſtronomum verſus) ad raſtra te promptiùs conferes. Idem *Georgius Sabinus ita expreſſit*:

Dixerat Aſtrologus cælum ſine nube futurum,
Principe ſilvarum luſtra petente ſuo.
Dixerat è contra ruiturum nubibus imbrem,
Vertere conſuetus bobus arator humum.
Vix ingreſſus erat Princeps nemus ilice denſum,
Cùm ſubitò pluviæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem Princeps, ipſumque docere
Aſtra, ſed Aſtrologum ſumere raſtra iubet.